# SOL BRITANNICUS REGI CONSECRATUS

BIBL. CANT. ACAD.
m-15 4732

A Domino LUDOVICO DE GAND,
*Ex Gallicâ Burgundiâ Nobili,*
*Domino de Brachey, & de Romecour.*

---

LONDINI,
Excudebat *J. Beale* & *S. Buckley.* 1641.

Imprimatur *April.7.* 1641.

*Johannes Hansley*

*R. P. E Lond. Capel. Domest.*

1798:99

# EPISTOLA
## *DEDICATORIA.*

CUm, REX æquè ſemper INVICTISSIME, ac POTENTISSIME, maximi momenti me negotium, in tuum, ex ſolis mihi cognitum anteà chartis, advexiſſet orbem, in hôc tanta, tam eximia, tam omnem admirationem ſuperantia reperi; Vt quæcunque de Angliâ priùs accepiſſem, eorum

habitâ ratione, quæ hìc ego vidi, aut nulla, aut a veritate detorta plurimùm, aut ab ipſis non multùm abhorrentia fabulis jam pene mihi videantur. Atque ne longiori ſermone TE gravioribus diſtrictum a negotiis, tunc temporis præſertim, ego detineam: Mihi eſt animus, NUNQUAM DEFICIENTEM ALTERUM IN ANGLIA FULGERE SOLEM, QUI PRÆTER TEIPSUM ALIUS EESSE NEMO POTEST, manifeſtis adeò rationibus hôc in Libro, bonâ cum tuâ veniâ, non Angliæ modò, ſed orbis univerſi cultoribus demonſtrare:

Vt

Vt illum, quem tibi, obſequioquè tuo conſecrandum exiſtimavi, ſi per otium legere non pigeat, hìc in Sole meo, tuiipſius Solis imagine, teipſum, cum libuerit, tanquam in ſpeculo valeas intueri. Interea vale, REX AUGUSTISSIME, primamquè illius oblationem libenter accipe, qui futurus eſt impoſterum

Tuus

Londini
1641.

*Ludovicus De Gand*
*De Brachey.*

# NON

Orbis Miraculum
Speculum Dei
Anima Mundi
Orbis Gaudium
Lucis Vehiculum
Astrorum Princeps
Terrâ Maior
Nunquam Deficiens
Depressior Maior
Altior Benefic
Verus Hercules
An Beandus

# SOLUS

NON
SOLUS

# SOL BRITANNICUS

SI verum est *Lectori humanissime*, quod minimè dubitanter Naturæ profert historicus, à supremo dumtaxat rerum omnium moderatore Deo pro diversâ cujuslibet hominis conditione diversum cuilibet homini sydus assignatum esse; ita ut cum clarioribus cœli facibus mortalium clariores, cumquè obscurioribus pariter obscuriores quandam

videantur habere ſimilitudinem: Equidem propter ea, quæ a nemine ſanæ mentis, ut arbitror, repudianda ſunt, ſolum ex aſtris omnibus ad AVGVSTISSIMVM ANGLIÆ, SCOTIÆ, HIBERNIÆQVE REGEM CAROLVM pertinere ſolem, ſeu potius hunc ſolem alterum eſſe in omnium oculis ultrò liberequè profiteri non erubeſcam. Et certè ſi, quod Quintus Curtius aperit, ſuper tabernaculum Perſarum monarchæ, unde conſpici poſſet ab omnibus, imago ſolis incluſa, cryſtallo fulgebat, ut Regem veluti ſolem alterum, cujus ſemper intuerentur imaginem, debito ſemper honore proſequerentur, cùm primus ipſorum monarcha ſolis nomine, propter illius in multis cum tanto ſydere cognationem, decoratus antea fuiſſet; vult enim Plutarchus in Artoxerxe, Κῦρον καλεῖν Πέρσας ἥλιον. Ut omittam quòd Rex Perſarum Sapor apud Marcellinum libro decimo ſeptimo

mo ſolis ideò ſe fratrem appellet: Aſſyriorumquè Reges a ſole Phœnicum linguâ Beli nuncupentur ex Servio in Virgilium: quodquè Reges omnes Dion Chryſoſtomus oratione tertiâ περὶ βασιλέως ut ſoli ſint ſimiles pro viribus adhortetur: Atque Hieroglyphicorum interpretes per ſolem Regiam indicari majeſtatem ſignificent. Profectò quòd REGIS CAROLI SOLIS alterius dumtaxat, mundanum ſolem ſymbolum firmiter ego teneam, accuratèquè defendam, niſi laudum ipſius ſupra modum invidus ſuccenſere mihi nemo poteſt. Enimvero tanta cum ſole communia ſunt illi, ut ex ipſius orbe manantes undique lucis radios longè mihi facilius enumerare fuerit, quàm affines huic cum illo proprietates ſermonibus adumbrare. Siquidem aliunde non eodem tamen modo fere mihi contigit idem ac ſimulacro Memnonis accidiſſe perhibent Philoſtratus, Stri-

das, Hieronymus, quod ad orientis nimirum ſolis radios vocem ſolummodò funderet, cùm ego magis quàm ſtatua mutus, non in ortu, ſed in ſolis illius, ſi dicere fas eſt, meridie, benignitatis & clementiæ radiis aliquot afflatus in aliquot tantummodò verba prorumpere queam. Quamobrem cùm mihi non ſit integrum innumeras quas Sol Britannicus cum mundi ſole couvenientias obtinet eloqui, in ſolas ex illis duodecim, quæ illius Zodiaci primaria veluti ſigna futura ſunt, mea procurret oratio. Atque utinam in illius gratiam melle dulcior velut ab ore Neſtoris illa flueret, cùm ſoli mel ab antiquis offerri ſolitum non contemnendus veterum ſcriptor Philocorus in hiſtoriarum ſuarum duodecimo prodiderit. Verùm cùm ſit id ætatis æquè grata ſoli Corvi raucedo, atque Luſciniæ ſuavitas, propterea nemini mirum videri debet ſi ad ipſius præſentiam crocitare quodammodò

modò potiùs, quàm per ſilentium meo deeſſe muneri nullo modo reformidem.

VT igitur inde mea proficiſcatur oratio, unde princeps laus ſolis oritur, hunc ORBIS eſſe MIRACVM ſolus ille neſcit, qui in rerum naturâ ſolem exiſtere penitus ignorat. Qui enim in illum aliquando prioribus retro ſeculis nullo verę fidei lumine colluſtrati ſapientes vel ſolam oculorum intenderunt aciem, tanto ſunt ob ejus excellentiam ſtupefacti miraculo, nihil ut hôc admirabilius, nihil divinius, nihil hâc in rerum univerſitate prius palam & apertè pronuntiarint. Et ut tibi verè pateat,

lector benevole, meum a vero nequa
quam abhorrere ſermonem, redeat
tibi placuerit in memoriam Horus A
pollo, qui in Hieroglyphicis ſolem
θεὸν κατ' ἐξοχὴν appellare non dubitet. Con
ſule ſi videbitur in hiſtoriâ naturæ Pl
nium, nam ibi reperies, aut ſolem, a
nullum eſſe Deum. Adi ſi moleſtum
non fuerit Diogenem Laërtium in ar
tiquorum Philoſophorum vitâ, ibi
nim quamplurimos uni Deo *Soli* Di
vinum decernentes honorem animad
vertes. Sed cautè minùs ago, qui pri
vatorum hominum velim iſtud munir
præſidiis, in quo gentium fere omni
um conſenſus mihi quàm maximè fa
veat. Omnes enim uno velut ore, di
verſis licet nominibus ſolem præcipu
um Naturæ numen arbitrati ſunt. Æ
gyptii quidem ſolem æternum Deum
teſte Diodoro coluêre, nam Oſirim
Ægyptiorum numinis nomen Græc
ſi reddas, ut inquit ille, πολυδεγμων ſigni
ficat

ficat, quod ſol radiorum ſuorum velut oculorum multorum luminibus terram maria, orbemquè totum circumſpicere quodammodò videatur, Πάντι γὰρ ἐπιβάλλοντα τὰς ἀκτῖνας ὥσπερ ὀφθαλμοῖς πολλοῖς βλέπειν ἅπασαν γῆν καὶ θάλασσαν. Porro ſolem a Perſis habitum pro Deo teſtantur *Herodotus*, *Xenophon*, *Athenæus*, *Macrobius*, *Philoſtratus*, *Juſtinus*, *Julius Firmicus*, *Tertullianus*, ut de Chriſtianis propemodùm infinitis ego ſileam, quos adorare ſolem abnuentes miſerandum in modũ iidem Perſæ laniarunt. His inquam omiſſis, apud Strabonem in Geographiâ legimus Perſarum Deum Mithram unum & eundem cum ſole fuiſſe divinis olim affectum honoribus, Πέρσαι τιμῶσι ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. Ad hęc num ſuo in tono ſoli, quem Heliogabalum nominant, vicinis cum regionibus ſupplicaſſe Phœnicas Herodianus author eſt? Num lapidem eundem, eodem hiſtorico teſte, propter εἰκόνα τοῦ ἡλίου ἀνέργαστον in

hôc

hôc expressam Antoninus ex solis Sacerdote Romanorum factus Imperator triumphali vectum curru cum exercitu totâquè Româ publicè veneratus est? Ut nihil dicam ex Tertulliano in spectaculis, Romæ Circum maximum soli, cujus effigies in templi fastigio micaret, præcipuè consecratum esse. Num uni Deorum quod vult historię parens Herodotus ἡλίῳ secêre tum Arabes, tum Massagetę? Num eidem cum Baccho soli apud Indos, ut Gymnosophistas hìc omittam, extructum esse templum probat Coelius? Num a Germanis vicinisquè Populis Belenum Apollinem adoratum ex non repudiandis testibus ad Apologeticum Tertulliani Franciscus Junius annotat? Quid multa? Ad Euphratem sol Belus est, Ammon in Libyâ, in Arabiâ Saturnus, Jupiter apud Assyrios, in Ægypto Serapis, Græcos inter Apollo, quemadmodum Dionysiacorum, suorum

quadra-

quadrageſimo Nonnus aperire jure nec immerito contendit. Ad extremum Sapientiſſimus ille civitatis Romanæ Conſul Macrobius omnia Deorum omnium antiquitatis numina in unum refundi Solem manifeſtis, iiſquè plurimis, ſuis in Saturnalibus, probat argumentis. Sed quandoquidem modò Phœnicum facta mantio eſt, non abs re fore arbitror hìc a Servio referre Phœnicum linguâ *HEL* ſolem appellari, unde dicatur Helios & Bel, qui præterea pro diverſo diverſarum nationum idiomate, ut ex ſacris paginis conſtare poteſt, non modò Bel, ſed & Baal, hoc eſt dominus, quòd Solem cœli dominum arbitrarentur, multiſquè id genus nominibus invocatus eſt. Ut nihil ego dicam variis in Scripturæ locis, quòd ad gentium normam ſolem Deum venerarentur, ſæpe notari Judæos. Unde ſecundi Regũ capite vigeſimo tertio commendatur Joſias quòd

ceſſare fecerit, tum Sacerdotes qui Soli ſuffitus offerrent, a Regibus Jehudah ad id officii conſtitutos, tum equos quos Reges iidem ſoli poſuerant, curruſque Solis abſumpſerit igne. Quin & ipſe Job capite trigeſimo primo, ſuam ut probaret innocentiam, dicit a ſe cùm fulgeret nequaquam viſum eſſe Solem, hoc eſt, ſe non illius ſplendore captum nationum fere omnium ad inſtar, ut divinos huic videlicet haberet honores. Imo gentilium quamplurimi putabant a Chriſtianis adorari Solem, ut videre eſt apud Tertullianum in Apologetico, tum quia funderent preces ad orientem, tum quia Solis diem peculiari cum lætitiâ celebrarent. Quamobrem ut ad propoſitum revertar, tanta cepit populos omnes ſolis admiratio, ut hoc ORBIS MIRACVLVM ſupremum rati numen adorarint. *Solem Deum cum eſſe credatis conditorem ejus, opificemquè non quæritis,*

*ritis*, inquit *Arnobius* Libro primo Diſputationum adverſus Gentes. Unde licet ad videndum Solem natum ſe prædicaret Anaxagoras; quia tamen dixit imprudens, vel ut putatus eſt blaſphemus, Solem ignitum eſſe lapidem, aut exilio, ſi Diogeni Laërtio in ejus vitâ, aut morte, ſi Joſepho in Appionem credere licet, affectus eſt. Sed in hôc omnium optimè ſenſiſſe mihi videtur apud Xenophontem Græcorum ſapientiſſimus Socrates, qui licet omni Solem admiratione dignum arbitretur, eos tamen qui divinitatem huic inconſideranter affingant, & non potiùs totam ipſius præſtantiam refundant in illius authorem Deum, à quo velut à fonte tota ſolis in mirandis illius qualitatibus proficiſcatur admirabilitas, jure meritiſſimo, etiam cum manifeſto vitę periculo reprehendere non veretur. Quos & Sol ipſe apud Julium Firmicum

Maternum capite octavo libri de erro
re prophanarum religionum ad Con
ſtantium & Conſtantem Auguſtos, di
ſertis ſatis verbis eam ob rem arguer
videtur. *Si convocato omni genere hu
mano Sol habitâ concione loqueretur*, in
quit, *deſperationem veſtram hâc forſa
oratione percuteret. Quis vos caduci ho
mines, & per dies ſingulos ſummo De
variis generibus rebellantes ad hoc tantum
facinus impegit, ut profano nefariæ cupi
ditatis errore, & morti me dicatis veſtr
arbitrio & vivere? Atque utinam inſita
to more, vel uno genere cogitationis ve
ſtræ figmenta procederent. Utinam ſin
contumeliâ mei ſceleratæ cogitationis ve
ſtræ graſſaretur improbitas. Nunc voſ
met per præcipitia jactantes mihi quoqu
non parcitis, nec aliquam habet veſter ſer
mo reverentiam, ſed cum dedecore meo in
exitium veſtrum mortemquè properatis
Alii me apud Ægyptum undis Nili, & ra
pidis vorticibus obſtinato mentis furore ſub
mergunt*

erro- mergunt: Alii amputatis virilibus plan-
Con- gunt: Alii crudeli morte casum aut in ollâ
os, di- decoquunt, aut septem verubus corporis
guere mei membra lacerata subfigunt: Qui pau-
re hu- lulum mihi placidâ fuerit oratione blandi-
, in- tus, quadrijugi currus aurigam me esse con-
forsan fingit. Projicite aliquando tanti furoris
ud ho- exitium, & salutari persuasione convicti
o Deo veram salutis viam quarite. Inimicus Dei
antum est, qui hæc aut cogitavit, aut finxit, nec
e cupi- facinus ejus simplex, aut usitata pœna co-
vestro mitatur, qui sacra profanus persuasionibus
usita- polluit, qui de præclaro opere Dei tanta
is ve- confingit. Lugete mortuos vestros, & ipsi
m sine similî morte morituri. Mittite regibus
is ve- vestris, ut vultis, inferias, & orbitates
vos- eorum alio remediorum genere mitigate. Lu-
quoque gete Liberum, lugete Proserpinam, lugete
er ser- atim, lugete Osirim, sed sine nostra contume-
meo inliâ dignitatis. Nolo me per tumulos eorum
eratis, favillasque ducatis: nolo ut errori vestro
& ra- vamen meum fomenta suppeditet: ad lucem
re sub- diei à Deo factus sum, hoc mihi sufficit so-
rgunt: lum.

*lum. Quid me honesti muneris dignitate privatis? Aliud me Deus fecit, aliud esse jussit, & vos me pro libidine vestrâ dividitis, pro arbitrii vestri cupiditate lacerastis. Quicquid sum, simpliciter Deo pareo, nec aliud volo de me intelligatis nisi quod videtis, hoc Deo gratum est, hoc Deus libenter amplectitur, hoc homines ad salutis viam ducit, si projectis erroribus Dei gratiam simpliciter ac fideliter audiatis. Hæc quidem* SACRATISSIMI IMPERATORES *Prosopopœiaco sermone dixisse sufficiat.*

SVfficiat igitur REX AVGVSTISSIME, ut relicto paululùm cœli sole ad te SOLEM BRITANNICVM se mea tandem convertat oratio. Nemo enim est adeò rerum verborumque imperitus, vel ab omni prorsus humanitatis sensu

ſenſu remotus, cujus aures ad Orbis Anglicani nomen id ætatis aliquando patuerint, quem nonpariter jucundiſſimus laudum tuarum ſonus eodem fere temporis articulo maximam rapuerit in admirationem. Nemo vel rudem tunc temporis Angliæ notitiam habet, qui non Orbis à ſe cogniti MIRACVLVM abjectâ prorſus omni cunctatione TE fateatur. Nemo vel ſolam oculorum in te direxit aciem, qui non aſpectu primo ipſâ te majorem admiratione MONARCHAM fuerit arbitratus. Nemo uſus eſt aliquando tuæ conſuetudinis honore, a quo non eximiæ dotes, quæ te velut ſolem alterum unde quaque radii coronare ſolent, eandem ultrò confeſſionem expreſſerint. Nemo Principes, Reges, Monarchas aliquos Tequè cognovit; qui propter ſingularem quam Deus indidit tibi Majeſtatem, ſummaquè ſummi Regis ornamenta, non te principem eos inter ſuſpiciat,

piciat. Nemo literatus utcunque prudenter suspicari potest, si prioribus seculis extitisses, Græcorum, Persarum, Parthorum Monarchas REGES REGVM, Osymanthiam Ægyptium Βασιλέα Βασιλέων, Sesoosin præter id δεσπότην δεσποτῶν, Tigranem Armenium Βασιλέα Βασιλέων, Palęologos per quatuor β β β β, hoc est Βασιλεῖς, Βασιλέων, Βασιλεύοντες, Βασιλευόντων, appellandos unquam esse. Qui quia peculiaris filii Dei titulus est Apocalypsis decimo septimo βασιλεὺς βασιλέων, κύριος κυρίων, quem in Christi contumeliam etiam hodiernâ luce sibi fastuosè nimis arrogant Ottomanni, ab hôc ego propterea, cùm istum Christiana repudiet modestia, in tui commendationem prorsus abstinebo. Nec enim te fugit quid sapientissimus SVECIÆ REX ERICVS decimus quartus per sceptrum decidens è nubibus, quod habuit in insigne cum epigraphê DEVS DAT CVI VVLT; Quid inquam per hoc

Regibus

Regibus indicare voluerit. Vnde mihi ſufficiet, ne adulationis apud omnes nomine malè audiam, de te ac de ſapienti quodam ſimile quodammodò ferre judicium. Cum enim me curioſiùs alias ad antiquitatis perquirenda monumenta juvenilis ardor abriperet, in Xenophontis librum cui ſpecioſus hic erat titulus ἀπομνημονευμάτων βιβλίον πρῶτον, incidiſſe me recordor, quem ubi ſedulò totum evoluiſſem, nulloſquè niſi de Socrate comperiſſem illic haberi ſermones, in authorem libri ſubiratum ſedavit nonnihil ſequens epigraphe ἀπομνημονευμάτων βιβλίον δεύτερον, ſperabam enim fore ut rebus ſaltem hìc admiratione digniſſimis meus tandem ſatiaretur animus. Cumquè ut priùs de Socrate ſolo viderem tantùm agi, percitus irâ velut fraudulenter ab authore deceptus in tertium incido ἀπομνημονευμάτων βιβλίου τρίτου, ſed & in hóc, quemadmodũ & in reliquis epigram-

matis ejuſdem, nil niſi Socratem inve-
nio. Quibus devoratis avidiùs, me-
um tandem ſubiit animum ea cogita-
tio, ſupradictis in libris tanquam Græ-
ciæ miraculum, tanquam rerum ad-
mirabilium in Græciâ compendium
atque epitomen, tanquam maximè
ſuſpiciendum omnibus virum à Xeno-
phonte propoſitum eſſe Socratem, ita
ut quidquid laude vel admiratione
dignum per totam Græciam variis in
hominibus diſperſum eſſet, caperetur
in uno Socrate. Verùm ut ut ſe res ha-
beat, utrum fuerit authoris ſupra lau-
dati mens ea necne, non multùm la-
boro. Audacter tamen ego proferam,
ut ſileam hominem a Platone θαῦμα
θαυμάτων, à Plinio mundi Epitomen,
ab omnibus μικρόκοσμον appellari. Audacter
inquam ego proferam, non Angliæ mo-
dò: Sed ORBIS univerſi te MIRACV-
LVM; omnium Orbis perfectionum
te veluti compendium, breviarium, e-

pito-

pitomen, ita ut si in aliquibus nobilitas insit, in quibusdam animi magnitudo, in nonnullis sapientia, in multis prudentia, in plurimis sanctitas, in his constantia, in istis liberalitas, in aliis justitia, hæc in tê uno collecta reperiantur omnia. Quemadmodum enim in mundi nascentis exordio hinc inde per orbem dispersa lumina in solem contulit solis author Deus, sic nobilitatis, μεγαλοψυχίας, sapientiæ, sanctitatis, reliquorumquè mirabilium in varios pro arbitratu suo dispersa lumina in te collecta sic univit Deus idem, ut propterea novum te veluti solem orbi maximè conspicuum exhibuerit, cujus admiratione sic capiantur homines, ut te non Deum licet, superioris ætatis nationum ad instar, quæ ut nemini non explicatum est divinos suis principibus decernebant honores, divinitatis tamen in te veneretur imaginem. ORBIS què TE

MIRACVLVM, exclamare ſolum modò valeant.




ET quando quidem alte ſolis noſtri radius, cùm i te divinitatis obiter nact ſumus imaginem, oculo rum noſtrorum ſuo jam lumine per ſtrinxit aciem, propterea & hunc an tequam ulteriùs progrediamur, paulò attentiùs ſi videbitur inſpiciamus, at que ut ſe quidem ultrò dant initia, hâc in re quam maximè nobiſcum facien tis ab Auguſto manumiſsi Phædri ſu pra humanam, quæ mihi nunc prmum occurrit, ſatis mirari nequeo ſapien tiam, cum ille non ex Apollinis Tri pode, non ex manticâ Phliaſiorum do

mo

mô, non ex cavernâ Trophonii, ſed ex cœleſti quopiam effato, ſed ex quodam fuſo divinitus oraculo, ſed ex aliquo divino prorſus axiomate pluſquã auream Nectare Ambroſiâquè digno protulit ore ſententiam, cùm ſolem DEI SPECVLVM appellavit. Quod ſi paulò diligentiùs Solis conſiderare velimus elogium, haud ſcio an verius quidquam, vel ſapientius poſt homines natos à quoquam prolatum adhuc unquam fuerit. Si verum enim eſt, quòd omnes quæ ſub oculorum undequaque cadunt aſpectum creaturæ veluti quædam ſpecula ſint, quæ ex omnibus orbis partibus quaquaverſum objecit author naturæ Deus: ut quocunque ſe verteret homo, per Creaturarum inſpectionem, quemadmodum ex Apoſtoli doctrinâ conſtat, ad notitiam Dei pervenire poſſet. Quanto magis de ſole prædicari poteſt idem, cùm ex illius ſolâ cõſideratione ſingulis diebus iden-

tidem Dei posit haberi cognitio. Cũ præsertim ex visibilibus creaturis omnibus in suum palatium atque thronũ solem Deus elegerit, ita ut ille quem propter immensitatem universus non capiat orbis, in sole tamen habitare peculiari quadam ratione videatur. Quis enim a sensu mẽtis sic abstractus est, qui non meridianâ luce clariùs animadvertat, immensam hanc cœlestium orbium vastitatem quemadmodũ ex Regis Prophetæ verbis effici videtur, in solis tabernaculum expansam à Deo fuisse, ut in illis Sol verum Dei speculum, Regius Dei Thronus, Dei peculiaris habitatio mortalibus appareret, unde & solem DEI SPECVLVM, in hoc asserit Theophilus Antiochenus Patriarcha libro secundo in Christianæ Religionis calumniatores ad Autolycum, quòd quemadmodum Sol pleno semper conspicitur orbe, nec ullam patitur unquam in se diminutionem

tionem, sic Deus continuò perfectus sibi semper similis potentiâ, intellectu, sapientiâ, immortalitate, cæterisquè bonis omnibus plenus semper existat. Vnde Cypariſſiotus decade sextâ capito primo, semper lucentem solem expressam esse Divinę bonitatis imaginem asserere nullo modo veretur. Vnde præterea, ut tibi, lector amantissime, penitiores animi mei recessus ingenuè patefaciam, ex Idololatris omnibus meo quidem judicio minùs erraſſe videntur, qui divinum hoc sidus in supremum numen adorarunt: in hôc enim quàm proximè solum aberraſſe videntur, quòd non deum, sed illius domum, sed illius Thronum, sed illius speculum, sed illius coluerunt imaginem. Nemo enim unquam si omnibus antiquitatis monumentis fides habenda est aliqua, sic omni ratione destitutus splendidiſsimam hanc cœli facem quapiam cum animi moderatione

ratione ſuſpexit, qui non illico Divinitatis ſedem in eâdem ſaltem apprehenderit. Quapropter ex antiquis, ut mea fert opinio, ſapientiſsimè notavit Creſolius, judices ubiprimùm erant de ſanguine laturi ſententiâ, ſemper in ſolem attollere lumina ſolitos. Cujus rei ſi rationem paulò accuratiùs inveſtigare velimus, nullam ſine ullâ dubitatione reperiemus aliam, niſi quia aut ſolem, de quo ſuprà, velut Numen adorarent, aut ſolem oculum ſcelerum vindicis Dei, cui paterent omnia, in Philoſophiâ Pythagoræ pleniùs eruditi ſuſpicerent, nam ex Epiphanio docuit ille τῦ Θεῦ ὀφθαλμον ἥλιον: aut ſolem juſtitiæ, quam illi profiterentur, oculum, de hôc canente Orpheo ὄμμα δικαιοσύνης: aut in ſole reginam omnium juſtitiam, quæ præter Deum ipſum alia eſſe nulla poteſt, agnoſcerent, veteres enim omnes tradente Proclo Reginam omnium juſtitiam

è medio ſolis throno omnia dirigentẽ, moderantemquè omnia ſic tuebantur omnes inquam Theologi, ut hôc verius nihil exiſtimarent; aut denique velut ex Platonicorum Scholis plerique Mundi animam, quâ de re pluribus infrà, hoc eſt, Deum medio in ſole, cujus & ille vicarium exiſtat ſpeculum, ſuis in placitis conſtituerent. Verùm antiqua nimis illa prætereo, ut ejuſdem rei, quâ de ſuprà fusè ſatis, non ex antiquâ illâ, ſed ex recentiore noſtrâ Theologiâ depromptam rationẽ ego proferã. Quis enim explicatũ non habeat ibi Deũ habitare maximè, ubi plura præſentiæ ſuæ ſigna, per multiplicem rerũ mirabiliũ operationẽ nobis aperire videtur. Quæ, ut eâ de re nihil ampliùs, qui non manifeſtiſsima videt in ſole, oculorum ſe luminibus captum fateatur neceſſe eſt.

ratione ſuſpexit, qui non illico Divinitatis ſedem in eâdem ſaltem apprehenderit. Quapropter ex antiquis, ut mea fert opinio, ſapientiſsimè notavit Creſolius, judices ubiprimùm erant de ſanguine laturi ſententiâ, ſemper in ſolem attollere lumina ſolitos. Cujus rei ſi rationem paulò accuratiùs inveſtigare velimus, nullam ſine ullâ dubitatione reperiemus aliam, niſi quia aut ſolem, de quo ſuprà, velut Numen adorarent, aut ſolem oculum ſcelerum vindicis Dei, cui paterent omnia, in Philoſophiâ Pythagoræ pleniùs eruditi ſuſpicerent, nam ex Epiphanio docuit ille τῦ Θεῦ ὄφθαλμον ἥλιον: aut ſolem juſtitiæ, quam illi profiterentur, oculum, de hôc canente Orpheo ὄμμα δικαιοσύνης: aut in ſole reginam omnium juſtitiam, quæ præter Deum ipſum alia eſſe nulla poteſt, agnoſcerent, veteres enim omnes tradente Proclo Reginam omnium juſtitiam

è medio ſolis throno omnia dirigentẽ, moderantemquè omnia ſic tuebantur omnes inquam Theologi, ut hôc verius nihil exiſtimarent; aut denique velut ex Platonicorum Scholis plerique Mundi animam, quâ de re pluribus infrà, hoc eſt, Deum medio in ſole, cujus & ille vicarium exiſtat ſpeculum, ſuis in placitis conſtituerent. Verùm antiquâ nimis illa prætereo, ut ejuſdem rei, quâ de ſuprà ſusè ſatis, non ex antiquâ illâ, ſed ex recentiore noſtrâ Theologiâ depromptam rationẽ ego proferã. Quis enim explicatũ non habeat ibi Deũ habitare maximè, ubi plura præſentiæ ſuæ ſigna, per multiplicem rerũ mirabiliũ operationẽ nobis aperire videtur. Quæ, ut eâ de re nihil ampliùs, qui non manifeſtiſsima videt in ſole, oculorum ſe luminibus captum fateatur neceſſe eſt.

Ed de his hactenus, ut & hìc Britãnico de SOLE dicamus aliquid, in quo non modò cũ ſuperiori ſole conſentire, ſed illũ tanto ſuperare videatur intervallo, quanto Sol ipſe ſtellularũ ignículos excedere vulgò perhibetur. Ac primũ neminẽ fugit longè nobilius mundano Sole DEI SPECVLVM Britannicũ ſolem eſſe, cum ad imaginẽ & ſimilitudinem Dei formatum hunc, illum verò nuſpiam reperiamus. Vnde ſunt ex Heraclito ἄνθρωποι μὲν θεοὶ θνητοί, θεοὶ δὲ ἄνθρωποι ἀθάνατοι. Quæ, ut Anthropomorphitarum hæreſim ego taceam, ſi conſiſtat in hôc imago Dei, quòd quemadmodum Deus ita replet univerſum, cui præſit, cujus ſordibus nequaquam inquinetur, in quo præter ſomnum videat omnia, a nemine verò videatur,

ita

ita mundum inquam repleat, ut totus in toto, & totus in qualibet sit illius parte, sic anima in homine microcosmo eâ ratione corpus impleat, cui & illa imperet, cujus neque maculis afficiatur, per quod à nemine visa intueatur tamen omnia, in quo nullo modo conquiescat, ut una in toto, atque in qualibet vel minimâ corporis ejusdem parte integra indivisaquè permaneat. Si inquam in eo sita sit hæc imago Dei, quod ex Judęis refert Abulensis, quis non videat in hôc Britannicum supero soli præstare longo dignitatis intervallo, cùm huic supradictâ nullatenus, quemadmodum ex primo liquet aspectu, illi vero maximè conveniant. Ad hæc, si Basilii, Chrysostomi, Nyssęni a veritate nequaquâ abhorreat opinio, cum Dei, quâ de hìc agitur, in eo statuunt imaginem, quòd veluti Deus creaturis omnibus, sic omnibus animantibus homo dignita-

te imperioquè præcellat, quam & ipse tenuisse videtur opinionem; cùm ait apud Xenophontem Socrates, homines inter animalia reliqua tanquam Deos vivere παρα' πὰ ἄλλα ζῶα ὥσπερ θεοὶ ἀνθρώποι βιοτεύουσι. An sic hebeti, obtuso, plumbeoquè reperietur aliquis ingenio, qui vel hâc in re Britannico cœli solem opponere non vereatur? Sed quandoquidem cum hominum reliquis ista soli nostro communia sunt, ad ea quæ non æqualiter ad omnes attinent tandem aliquando veniamus. Nam Augustinum audio, cum vult imaginem Dei per id in hominis intellectu sitam esse, quod veritatem intelligat, justitiam ab injustitiâ discriminet, factorem suum agnoscat atque veneretur. Quod ita præ cæteris omnibus tibi peculiare fatetur Albonis SOL INTELLIGENS, vel ab adulatione remotissimi, ut supra consuetum mentis humanæ captum infusam à Deo tibi sapientiam,

quod

quod pluribus infrà demonſtrabimus, arbitrentur. Ad quam cùm maximé probati Deo, Angelis, hominibus, tui mores accedant, quibus in moribus cùm inſit imaginis Divinæ pulchritudo, quemadmodum ſui temporis in Angliâ decus atque ornamentum Beda Venerabilis opinatur, Platoqué περὶ νόμων dicat, ὅμοιος θεῷ ἐστιν ὃστις ἀγαθός. Quam perfectum TE DEI SPECVLVM CAROLE, qui tam pulchram Divinitatis exhibeas imaginem, arbitrabimur: Siquidem aliunde certum eſt propter morum diſſolutionem in hominum atque adeò Regum pleriſque ſic extinctam, ſi cum Auguſtino loqui mihi conceſſum fuerit, intelligentiæ flammam, quam Xyſtus Pythagoricus in proverbiis DEI SPECVLVM appellat, ut brutorum in ſe potiùs quàm Dei referre videantur imaginem. Quod ſi ſupradictis addamus, ut omittam ab Ariſtotele tertio

politicôn eum qui potens est in republicâ, virtutequè præditus esse πατερ θεὸν ἐν ἀνθρώποις; ut sileam ex Platone Reges existere Θεοὺς ἐξ ἀνθρώπων: ut nihil ego dicam ex Ignatio martyre ad Smyrnæos, non propius esse Deo quidpiam ipso Rege, quem honorare propterea debeant universi τιμᾷν χρὴ τὸν βασιλέα, οὔτε γάρ τις κρείττων, ἢ Θεοῦ μᾶλλον παραπλήσιος ἐν πᾶσί τιν οὖσι. Denique ut prætermittam ab Ambrosio in Paulum, Regem, cum Dei sit imago, Dei vicem hìc agere. Quòd si supradictis inquam addamus, ut hìc iste radius quemadmodũ incepit à te, sic in te SOL ANIMATE desinat, te domum, templum, peculiaremqué Deì Heroicis in operationibus tuis, sanctitatequè maximè conspicuis habitationem, alter iste solis radius præ tui splendore sic hebescet, ut obscurus esse quodammodò videatur.

Unde

VNde ad tertium bonâ cum tuâ veniâ considerandum nostra progredietur oratio, qui quia cum justitiâ quâ de suprà, maximam habet affinitatem, eum priùs eam ob rem, si videbitur, attingemus, in quo ne te diutiùs ego morer, stupendam prorsus majorum nostrorum mirari satis nequeo sapientiam cùm solem MVNDI ANIMAM, MVNDI MENTEM, MVNDI VIM, NATVRÆ COR, CREATOREM OMNIVM, ORBIS DOMINVM, RECTOREM VNIVERSI, JVSTITIÆ CORPVS, quæ in idem prope recidunt omnia, sapientissimè prædicarunt. Enimvero

si

ſi prudentum eſt imponere nomina rebus, propter eam quam ipſa, ut de primeva nominum impoſitione taceam, cum rebus, quarum ſigna ſunt, habere debent analogiam : an ulli rei ab illo tempore quo genus hominum Sol idem illuminat, prudentius impoſuiſſe nomen mortalium reperietur aliquis ? Agite dum, ut ex meipſo nihil ego promam, nihilne vobis rationis eſt clariſſima doctrinæ ſapientiæque priſca lumina, cur tam preclaris Solem ornantes elogiis, tantam huic apud poſteros digniſſimis egregiorum ſcriptorum veſtrorum monumentis lucem inferre videamini ? imo verò plurimum. Agite porro quodnam eſt iſtud ? Si naturæ ſcriptorem Plinium eâ de re prius interrogem, is audacter hiſtoriæ ſuæ libro ſecundo ſubjiciet SOLEM MVNDI TOTIVS ANIMVM AC MENTEM CREDERE DECET OPERA EIVS ÆSTIMAN-

MANTES. Si duo civitatis Romanę Consules olim eruditissimos, quos principes honoris gratiâ nominari decuit, eapropter ego consulam, Tullium cur in Somnio Scipionis MENTEM MVNDI SOLEM is appellet: Macrobium cur hanc Solis invocationem ἥλιε παντοκράτων, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, ex antiquis Theologis suis in Saturnalibus ille referat? quodnam precor ab illis pręter id quod jam accepimus a Plinio responsum expectandum est? Si Poëtas ego conveniam ita commendatos a quodam, si Tullianum istud usurpare fas est, quasi Philosophorum Deo Platone, ut ὧν ποιήματα οὐκ ἀνθρώπινα οὐδ' ἀνθρώπων, ἀλλὰ θεῖα καὶ Θεῶν, ipsos vero ἑρμηνεῖς τῶν Θεῶν, arbitretur in Ione, suâquè in republicâ υἱοὺς Θεῶν appellare non dubitet, qui & ab eodem dicantur in Liside πατέρες τῆς σοφίας, τῆς σοφίας ἡγεμόνες, in symposio denique γεννήτορες φρονήσεως, atque οἱ ποιηταὶ πάντες γεννήτορες τῶν ἀρετῶν, habeantur. Si e

Poëtis inquam tantâ ſapientiâ prædi-tis, itaquè laudatis a Platone, quos ſuâ e republicâ tamen eliminaſſe literatorum vulgus opinatur, eam ob rem, quâ de hìc agitur, duos ego conveniam, ut a parente Poëtarum Homero, cur ſolem nuncuparit ἄναξ contendere mihi liceat, ut ab Orpheo Theologorum ipſos inter celeberrimo quæram, cur ſolem eundem alloquens hac ἄνασσα κόσμου utatur invocatione? Alia crede mihi, quantum ex utriuſq; doctrinâ conjicere licet, præter datam ſupra rationem, ab ipſis afferri nulla poteſt. Denique, ſi ad Philoſophos ego me conferam? Si expoſcam ab eo Platone, quo de ſuprà, cur ſol ab illo Solus in Cratylo ἥλιος ex nonnullorum opinione prædicetur? Si Platonicorum pleroſque ſciſciter cur SOLEM MVNDI ANIMAM, CŒLI NATVRÆQVE COR appellarint? Nonne pedibus ad ſuperiorum ſententiam, ſi denuo fo-

ret

ret ipſis integrum, quantocyus accedere viderentur? Qui omnes Hiſtorici, Oratores, Theologi, Poëtæ, Philoſophi, cum tam miranda Soli tribuant encomia, eaquè ſoli convenire maximé illius ex operationibus manifeſtiſſimè demonſtrent, noſtram pariter, æquâ rationes eaſdem animi lance ponderantes, ad æquos rerum æſtimatores ſententiam, ut par eſt, adjungamus. Quamobrem ſi miram Solis analogiam cum noſtrâ conſiderare velimus animâ, quàm ſapienter ille mundi prędicetur MENS, VIS, ANIMA, COR, CREATOR, RECTOR, JUSTITIA, ſine ullâ dubitatione per comparationem utriuſque nullo negotio comperiemus. Quemadmodum enim in microcoſmo ita pręſens ubique eſt anima, ut nulli deſit illius parti, unicuique ſuæ naturæ convenientem calorem attemperet, carnem, oſſa, cartilagines, ligamenta, membra-

nas, arteriarum tubos, venarum myriades, multiplicia nervorum paria, viscera, musculos, cæteraſquè partes corporis, posteaquam fere omnes efformavit, unicuique quod suum est justè distribuendo, ad debitam magnitudinem sic adaugeat, ut his vitam vegetativam, illis sensitivam, istis intellectivam communicet, muneraquè in illarum conservationem, atque adeò pulchritudinem innumera, quasi non una, sed multiplex illa foret, obire fine ullâ defatigatione nunquam desinat: Sic MVNDI MAIORIS SOL ANIMA singulis illius partibus per vim multiplicem radiorum suorum, quos undequaque semper in illas evibrat, ita præsens est, ut in terræ visceribus metalla generet, procreet in illius gremio plantas, herbas, flores, fruges, animalia, cætera quæ singulis diebus hominum subjiciuntur oculis omnia, in aquis producat pisces, uniones efformet

met, faciat in aëre pluvias, diverſaquè pro diverſis anni tempeſtatibus meteora tribuat, in cœlis tempora moderetur. Ut uno verbo complectar, tantâ cum juſtitiâ regat univerſum, ut non Sol, id eſt Solus, verum ex Hori Apollinis mente, proper multiplices ejuſdem effectus in tam variarum, tam diſſimilium rerum, tam heterogenearum diverſâ, multiplici, continuáquè generatione, nec non conſervatione *mavis*; quaſi multus, aut multiplex habeatur. Ad hæc ſolis cum corde ſimilitudinem ita demonſtrat in Anatomê ſuâ Laurentius, ut SOLEM COR MVNDI, COR VERO SOLEM HOMINIS, cum antiquis appellare nullo modo vereatur. Quę quia ex dictis hactenus ſatis intelligi poteſt analogia, propterea, ne videar actum agere, in eâ probandâ non exiſtimo diutius immorandum.

VT ad te quantocyus accedam REX AVGVSTISSIME, regniquè triplicis, cui præsides, TE MENTEM iis probem argumentis, quæ in controversiam disceptationemquè vocare, nisi mente captus, nemo potest. Si enim ab aliquâ rerum cognitione, quam tamen Lactantius libro de sapientiâ falsâ non immerito deridet, in ultimâ fere antiquitate mentis cognomen tulit Anaxagoras, quid de te dicendum arbitrabimur? Apud quem non fabularum cognitio, non infinitorum scientia, quorum ignoratio longe præstabilior est, sed Regi maximè propriæ nobilioresquè ita domicilium elegerint artes, ut illarum arx validissima, metropolis fortissima, inexpugnabilis acropolis esse videaris. *Quatuor librorum millia,*

*lia*, inquit *Seneca epistolâ octogesimâ octavâ ad Lucilium, Dydimus grammaticus scripsit, miser si tam multa supervacua legisset, in his libris de Patriâ Homeri quæritur, in his de Æneæ matre verâ, in his libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit, in his an Sappho publica fuerit, & alia quæ erant dediscenda si scires.* Quid precor disciplinæ similes ad Regem attinent? Quid Regi prodesse possunt in Ptolomæi Philadelphi bibliothecâ quingenta millia librorum, authore Aristeâ, teste Gellio septingenta millia? e quibus quadringenta millia Alexandriæ conflagrasse prodit Seneca. Quid his in libris pene omnibus præter meras nugas fuisse descriptas arbitraris? Num in illis Ægypti Regum annales per centum annorum millia servatos existimas? Num quadringentorum & septuaginta millium annorum tum historias, tum ephemeridas ibi suas Chaldæi posuerant? Num

Athena-

Athenarum hiſtoriæ novem annorum millibus conditarum ante Solonis ætatem reperiebantur ibi volumina? Num legiſſes ibidem ex Indiæ monumentis tum patrem Adami, tum pædagogum? Num accepiſſes inde notatum ab Ægyptiis quater ſuos vertiſſe curſus aſtra, biſquè ubi nunc oritur, Solem alias occidiſſe? Quid precor, ne gemino ab ovo longiùs ordiri videar, noſtris in bibliothecis paſſim hodie reperias, præter ineptiarum cumulos, deliriorum montes, meraquè ſomnia? Quę qui teneat mentis cognomen ſumma veræ ſcientiæ cum ignominiâ pene apud omnes ſibi vendicet. *Hæc hæc eſt vera, ſolaquè ſapientia, cultus divini cognitio, regendorum populorum notitia, conſervandorum ſcientia, in hoſtes tuendorum peritia, hincquè exercituum ordinandorum certa ratio, muniendorum locorum methodus, oppugnandorum prudentia*, quæ qui poſſideat verè ſcientem

ſcientem illum mentemquè longè mëliùs quàm Anaxagoram, quàm Ariſtotelem, quàm alios prædicare oporteat. Nam, meo quidem judicio, ſapientiſſimè rerum publicarum gubernandarum peritos divinus & ipſe Plato dialogo περὶ ἀρετῆς, θείους propter divinam hanc ſcientiam, appellare non dubitat. Atque propter eandem, quemadmodum prudenter annotat Adrianus Turnebus adverſariorum libro decimo ſexto capite decimo tertio, διοτρεφεῖς Reges appellat Homerus, quod debet intelligi ex Dionis Chryſoſtomi ſententiâ, oratione quartâ περὶ τῆς βασιλείας, non ita ut Reges ab Jove, hoc eſt a Deo, tanqam a nutrice lacte, & vino, & cibis, alimentiſquè cæteris nutriantur: Sed divinâ ſcientiâ cœleſtiquè doctrinâ, quam ad regendos homines tanquam cibum illorum animis continuum adminiſtrat. ὅταν λέγει διοτρεφεῖς τοὺς βασιλέας, ἄλλο τί οἴει λέγειν αὐτὸν ἢ τὴν ἐφὴν αὐτῶν

 ἣν ἔφη

ἣν ἔφη εἶναι διδασκαλίαν, καὶ μαθητείαν. Unde præterea colligit solos Reges sapientes, solesquè eruditos, cum enim aliquando rogaret Digionem Alexander, quisnam ipsum Regiam edocere posset artem, respondisse perhibetur, Jovem, hoc est Deum, qui solus hanc sciat artem, & quibus placeat communicet: duplicem enim eruditionem esse, divinam unam, humanam alteram, divinam quidem magnam, validam, facilem, infusam a Deo Regibus: humanam parvam, imbecillem, deceptionis plenam, quæ demorsos nihilominus sapiat ungues, & tamen νομίζουσι τὸν πλεῖστα γράμματα εἰδότα, καὶ πλείστοις ἐντυγχάνοντα βιβλίοις τοῦτον σοφώτατον, καὶ μάλιστα πεπαιδευμένον. Præterea notum est omnibus cùm Moyses quereretur apud Deum, quòd tantum solus populum regere non posset, a Deo responsum ut septuaginta seniores eligeret. *Separabo*, inquit ille, *numerorum capite undecimo, de spiritu qui est in te, & ponam*

*ponam in eis, & ſuſtinebunt tecum onus populi.* Quâ qui divinâ ſapientiâ præditus eſt, non ſolem ſed Deum ipſum, ut ſatis omnes intelligunt, referre profectò videtur. Quis autem Anglus? Quis Scotus? Quis Hibernus eam ſuo in Rege Carolo ſapientiam deſideret? Quis in hôc non SVAM MENTEM agnoſcat, atque veneretur, quem Ambroſius in regendo VICEM DEI gerere, ad caput decimum tertium epiſtolæ ad Romanos prudenter annotarit. Sed omiſſis authoritatibus, iſtius rei temet *O Anglia mundi deliciæ, Regnorum omnium princeps, Europæ decus & firmitas, Religionis orthodoxæ robur, Reipublicæ Chriſtianæ columen, Eccleſiæ baſis, Fidei propugnaculum, Chriſti fidelium firmamentum & azylum, te in ſupremo tuorum ordinum ſenatu, qui propter ſingularem, ſenatoris cujuſque majeſtatem æquè merito atque Pyrrhi legato Cineâ Romanus ille* βασιλέων συνέδριον, *cœtus appellari poteſt*: Te-

 metipſam

metipsam inquam ANGLIA testem adhibeo. Nunquid, ut pluribus abstineam, politici tui corporis partes omnes ad Regis, tanquam ad MENTIS ANIMÆQVE TVÆ nutus, certâ ratione moveri satis probant etiam omnia, quæ vel perpetuo comitiorum tempore Regis nomine promulgantur edicta. *Ille enim spiritus vitalis est*, ut cum Senecâ loquar, *quem tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus, si mens illa imperii subtrahatur.* Quæ ut mente sedulâ revolvas SCOTIA, *Regnorum omnium, quæ ab orbe constituto viguerunt adhuc in Rege tuo, sine controversiâ nobilissimum*, cùm per viginti secula, supra fidem ætatemquè reliquorum, perpetuam imperii tui majestatem in uniu hæreditatem familiæ a primo Fergusio ad CAROLVM GRATIA DEI REGEM, etiamnum conservasti. Quæ u inquam Sedulâ mente revolvas SCOTIA, ne quid in tantam imperii tu majesta

majeſtatem peccare videaris; quibus poſſum, fraterniſquè contendo precibus, nam ut canit ille

*Lex Regina, magiſtratus Rex, Grexquè Popellus*
*Si bene habent, tunc & publicares benè habet.*
*Lex cen Rex nutus, Rex cèu Lex viva gubernat,*
*Grex Regi & Legi paret utrique volens.*

Quod ſi pariter accuratè conſideres *Hibernia Regnorum omnium in hôc laudatiſſimum, quod venenatum apud te nullum eſt animal, aliundequè delatum illiço moritur*: Nunquam profectò venenatis Romanorum infici te ſines aliquando perſuaſionibus, ne a TVÆ MENTIS imperio, quod adhuc audiviſti, vel in aliquâ tui parte, minimâ licet, aliquando divellaris, id enim ſi accideret, quod tamen avertat Deus, te reptilium maximè venenatis refertam undequaque ſtuperes. Nam in Regum Ægyptiorum diadematis pictas variis ab authoribus aſpides accipimus, quibus ſapienter oſtenderent,

 illos

illos qui Regum imperium, majeſtatem, ſanctitatem quacunque ratione violare conarentur, exilientes in ſe cumprimum aſpides, hoc eſt, abjectâ prorſus omni cunctatione Divinam in mente ſuâ Nemeſim protinus experturos.




QUamobrem ad quartum ſolis mei radium, poſteaquam plurimam vobis adſcripſero ſalutem, fœlices qui tam ſuavem ducatis imperii ſpiritum, triplicis verè fortunatarum inſularum regni proceres, ex inſtituti mei ratione mea me demum provehet oratio. In quo cùm ORBIS GAVDIVM inciſum eſſe videam, & ſolem hìc, quod ſuâ radius iſte

iſte præfert epigraphe, mundi totius voluptatem eſſe confirmabo. Ad quod, antequam ulteriùs ego promoveàr, huc appello vos Indorum ſapientiſſimi Gymnoſophiſtę: Quam ob causam precor a primo ſolis exorientis momento cadentis ad inſtans ultimum, dies integros, immotis in ſolem perpetuo defixi luminibus, huno ſidintuemini, ut ne cantillùm quidem axes opticos ab illo declinetis? Quid medios inter æſtus tum aëris, tum Arenarum, quibus nudis inſiſtitis pedibus, Solis lumen attentis hauritis oculis, ut quantumvis igneum ipſius ardorem ſentire non videamini? Quid vos cibi, potus, atque ut uno verbo complectar, aliorum vitæ commodorum tunc temporis, quamdiu ſolis frui poteſtis aſpectu, capit oblivio? Nonne per id ſine voce licet ſatis altè prædicatis tamen, hæc a vobis ſingulis diebus ideò factitari, quòd ſolam in hôc quàm in reliquis

quis orbis deliciis, quas sic avidè sectantur mortalium cæteri, solam in sole voluptatem, solum gaudium, solam vitæ suavitatem inveniatis? Quid precor aliud innuit suâ in Philologiâ Martianus ille, cum argenteam ad solem ponit ponit urnulam, e quâ Sol lætitiam atque gaudium, quod & Risvs Jovis appellatur, per totum terrarum orbem, quolibet articulo temporis, cum suis radiis patiter effundat. Quod si nos mente sedulâ dictum revolvere non pigeat, quàm sapienter prolatum fuerit istud sine ullâ dubitatione facile comperimus. Enimvero quis non perfundatur animi voluptate maximâ, si vel huic tantisper Rex suus arriserit? Nonne in illum tranquilla, exporrecta, serena regis facies omnes tristitiæ nebulas sic abiget, ut ne quidem ullum mœroris, vestigium in illo prorsus appareat? Si verò ut ita loquar rideat alicui Deus, quid eam ob

rem

rem existimandum est? Anne putabimus æqualem huic aliquando persentiscì posse jucunditatem? Quid autem præstat aliud singulis diebus amabo vos, cùm solem tam multâ lucis venustate decoratum nostris objicit oculis, quàm, ex suprà laudati sapientis opinione, ridere mortalibus? Quapropter non immeritò dicebat, fictus in multis licet, Tobias ille senior, *Quale mihi gaudium esse potest, qui lumen cœli non videam.* Sol enim ipse, quemadmodum in ejus hymno verissimè canit Orpheus, ζώων ἰδέαν πέμπει existere manifestâ demonstratione convinci potest. Atque ut a particularium authoritatibus abeam, universæ naturæ vox altissima nihil crede mihi sæpius, quàm solem ORBIS esse GAVDIVM, inculcare videtur. Quòd si de positionis meæ veritate dubitet aliquis, Smindridas alter Sybarita videlicet, qui per integrum annorum viginti spatium,

nec orientem, nec ſolem occidentem ſe vidiſſe gloriatur ex Athenæo, id genus enim homines, quàm ſi ſolaribus depicta foret radiis clariorem theſim meam ſoli revocare poſſunt in dubium, licetquè genialem deſerere torum is abnuat, at ſaltem in illo nullis abducti nubibus ad verni ſolis ortum, apertis ſolummodo deferri ſe patiatur oculis, ſic enim ſpondeo fore, ut nihil poſtea firmius ille teneat, accuratiuſquè defendat, quàm ſolem ORBIS eſſe GAVDIVM. Nec mirum, nam tunc temporis quas mœrore ſuo ſepultas penequè conſectas nox invaſerat res omnes exhilari maximè perſentiſſet: nec ſolùm exultantes ad opera ſua cum ingenti gaudio undequaque proficiſci videbit homines; ſed etiam animadvertet omnes, ut mellifluâ perſundant aërem ſuavitate, ſuaviſſimè ſpirare ventos; retectáque pulchritudinis ſuæ venuſtate, quam

nocturna

nocturna clauſerat triſtitia, recreandis oculis aperiri flores; collachrymantes priùs herbas, abſterſis cumprimum lachrimis, caput erigere; Aves variis iiſquè maximè jucundis aërem demulcere cantibus; colorata omnia, a quibus ſuum nox abſtulerat honorem, novo ſplendeſcere decore; Priùs extinctas ſuo rurſus accendi ſplendore gemmas; Denique tam multis ornari cœlum coloribus, ut Thaumantias illa, quæ

*Mille trahit varios adverſo ſole colores,*

nec gratiores, nec plures habere videatur. Et quandoquidem contraria juxta ſe poſita clariùs eluceſcunt, obſcuriſſimæ noctis horrorem cum diei ſplendore maximo, vel ſine ſole diem cum maximè ſereno, ni tibi valde ſint ægra lumina, compone ſi lubet, quiſquis clariſſimas naturæ totius audire voces aſpernaris. Quòd ſi tamen ſis ita mente captus, ut nec ipſâ poſſis uti

ratione, optandum eſſet tibi profectò, ut, quod Pheroni Ægyptio Regi contigiſſe legimus apud Herodotum in Euterpê, ad ſolos decem annos cœcus omnino fieres, quibus emeritis, tibi denuo liber, quemadmodum & illi, reſtitueretur omnis oculorum uſus. Certè quam tibi jucunditatem neque ſenſus, neque ratio valent oſtendere, ejuſdem ad tempus longa ſatis privatio, tibi demonſtratione qualibet, imò Zenonis Achille validior, omnino Solem ORBIS eſſe GAVDIVM, ſine ullâ deinceps, quantum licet augurari, tergiverſatione perſuaderet.

NOs verò, quibus jamdudum probatum iſtud eſt, & idem in. BRITANNICO SOLE pariter oſtendamus, quem qui neſcit REGNI TOTIVS, id præſertim

sertim ætatis, esse GAVDIVM, quid rerum tunc temporis geratur in Angliâ penitus ignoret necesse est. Quis enim est hôc in orbe vel maximè peregrinus, qui in tam benigni principis veniens conspectum, non majorem præ se ferat eo die lætitiam, quàm si facultatum amplissimarum illi nova fieret accessio. Atque ut ego verum ingenuè fatear, ubi tam frequentem ad illum tamquè sæpe Ordinum omnium, Comitum, Baronum, Equitum, Senatorum, Ecclesiasticorum, Civium, imò vulgi video fieri concursum, ubi propemodum infinitas paribus admistas laudibus eidem concini gratulationes identidem accipio; Ubi præ gaudio maximam lachrymarum fundi vim a multis cum acclamatione GOD SAVE THE KING addisco: Ubi quotannis natalem hìc ipsius ab omnibus, quo & in lucem editus, & in Regnum evectus est, omni gaudiorum ho-

neſtorum genere celebrari comperio, meum tunc temporis ſubit animum ea cogitatio, hunc ad quem tantus fiat applaudentium undiquè concurſus, quendam quaſi ſolem eſſe, qui non in ortu ſuo tantùm, ſed omnium ad ſe lumina, voces, plauſus attrahat, atque in omnium animis, Sole ſupero longè potentiùs, perpetuam generet lætitiam, continuumquè feſtum diem exhibeat. Sol enim, ut ſapienter oratione tertiâ Dion aperit, δείαν δὲ καὶ δύναμιν παρέχει τοῖς ἀνθρώποις εὐφροσύνην τε καὶ ἑορτῶν. Ubi pariter in memoriam mihi ſæpe redeunt ea, quę apud authores idoneos, de illis qui ſub mundi Polis habitant, memini me legere, quantâ ſcilicet cum lætitiâ, quanto cum tripudio, quàm feſtivis vocum omnium acclamationibus, ubi Solis reditum, cujus abſentiam a ſe per integrum anni dimidium maximè doluerant, ſentiunt abeſſe propiùs, quantâ inquam cum exultatione tunc temporis

poris ad montes omnium editissimos, ut orientem gaudii sui parentem debitâ salutione priores adoriantur, adorent penè dixi, undique certatim affluant. Quæ qui tranquillâ mente paululùm apud se cogitaverit, nullâ ratione mihi dubitandum venit, quin eadem fere omnia ab Anglis tam Comi, tam Urbano, tam Humano Regi suo præstari sæpe videns, & hunc ANGLIÆ GAVDIVM, pariter ac Solem Perisciis exorientem, illicò fateatur. Quòd si pręterea Sol ORBIS GAVDIVM eam ob rem est, quòd sit illius Ἀπόλλων quasi ἀπολύων vel ἀπολύων abluens aut solvens a malis, unde Medici sortitus est appellationem, quemadmodum Plato sapientissimè docet in Cratylo. Nonne jure potiori SOLEM BRITANNICVM REGNORVM SVORVM GAVDIVM appellabimus, quòd non tantùm clementiæ, liberalitatisquè suæ radiis ægra sanet, reficiat, recreet corpora, sanaquè conser-

conſervet, ex quo PATREM PATRIÆ, πατέρα λαῶν, MEDICORVMQVE PRINCIPEM hunc prædicare fas eſt: tum etiam propter divinam SANANDARVM STRVMMARVM ſolo contactu a Deo conceſſam illi vim, quod vel maximè peregrinis in Angliâ notum eſt, quodquè non omnino cœcus intueri poteſt, nec omnino ſurdus ab iis accipere, qui in ſignum per Regem acceptæ ſanitatis aureum atque demiſſum e collo Nomiſma quibuſlibet ſpectandum exhibent. Ut omittam ἄνακτα Regem a Græcis nuncupari ab ἄκος medelâ, pharmaco, ſanitate, quemadmodum placet aliquibus, quod Reges ſubditorum ſuorum ſic eſſe medicos oporteat, ut quibuſlibet ipſorum malis remedium adhibere continuum omni ratione ſatagant, unde propterea gratiam & honorem apud omnes, ut vult Xenophon, Deus illis indidiſſe perhibetur, ἐμοίγε δοκεῖ καὶ ἐκ θεῶν τινά τις καὶ χάρις συμπέπτωκεν ἄνδρι ἄρχοντι.

Verùm

Verùm cùm iſta REGI CAROLO convenire ſic toti pateat Albioni, ut non ſit magis huic apertũ de meridie lucere Solẽ, propterea ne in receptũ a ſapientibus omnibus axioma peccare videar, æquè videlicet abſurdũ eum eſſe, qui maximè clara, atque ἀξιώματα maximè comprobare nititur, atque dũ publici paſſim, in publici per Regem nuper accepti gaudii ſymbolum, per totam Angliam certatim accendũtur ignes, apud me ſcriptis iſtud nequaquam proſequi longioribus omnino deliberatum eſt:




VErùm ad inſolentem hìc apparentis radii fulgorem, cùm LVCIS VEHICVLVM in ſe continere ſatis ex aſpectu primo

mo videatur, aperire lumina. Quod ex Basilio, sine ullâ dubitatione, Soli statim concedet elogium, quisquis in illum vel solam oculorum obiterquè direxerit aciem, unde non mirum si θεὸς λιγυῶπις Deus splendidus a Nonno, ob eximium splendorem ἥλιος φαέθων a Sophocle, ab Orpheo ζωῆς φῶς, a plerisque FONS LVMINIS, a nonnullis PATER LVMINVM, sexcentisquè id genus epithetis ab authoribus, ubi se dat occasio, passim appelletur. Et certè solem LVCIS esse VEHICVLVM in dubium solummodò revocare possunt ii, si tamen vel ex suâ ipsorum opinione possunt, de quibus Philosophicis suis in libris Tullius, quorum Princeps id axioma fuisse legimus, sapientis maximè proprium esse nihil tenere certi, sed dubitare de omnibus, cùm nihil veri concipi, nec possit intelligi, & quæ sensibus percipiuntur omnia, omnia veritatis in se nihil, at falsitatis habere

habere plurimum. Sed antiquata illa dudum Scepticis, Pyrrhoniſmi, veteriſquè Academiæ ſectatoribus, ſemiſſiſquè id genus philoſophulis, magiſquè quàm ipſa bruta ſint aſophis, ultrò ſine lucis injuriâ permittamus. Quamobrem dicat per nos licet Arcecilas ille, falſa quę ſenſibus apprehendimus omnia; ſed pariter eam non hominis, imò nec vocem penitus eſſe fateatur. Dubitet quantùm libuerit Nauſiphanes, utrùm exiſtant, nec ne, quæ videmus, ſentimus, cognoſcimus: Sed & utrùm exiſtat in rerum naturâ, vel loqui, vel dubitare poſſit, de ſe priùs dubitet ipſemet neceſſe eſt. Ad extremum quæcunque putamus aliquid eſſe, nihil eſſe Parmenides, utcunque placuerit, aſſeveret; verùm ſe neminem eſſe, aſſeverarequè nihil, ſi tamen poteſt, aſſeveret. Nos, verò ut iſtos lucis, quę vere nobis aperit omnia, inſenſiſſimos deferamus hoſtes, Solo ſenſuum

noſtrorum beneficio SOLEM LVCIS ESSE VEHICVLVM cum iis omnibus, qui brutas animantes ſtupiditate non ſuperant, aſſeramus, qui, quia de re licet, non de modo tamen inter ſe conveniunt, propterea veſtrum id munus erit, ſi videbitur, lectores æquiſſimi, ut ponderatis illorum opinionibus, jus omne veritatis præſidio ſtatuatis. Ac primùm diridendam potiùs quàm confutandam deliri Manichæorum parentis ſtultam ex Epiphanio vobis hìc expono ſententiam, qui Solem LVCIS VEHICVLVM arbitratur ideò, quòd multę lucis particulæ, Animę videlicet, quæ ex quâdam lucis columnâ diſtractę, αἱ ψυχαὶ ἀπὸ τοῦ στύλου τοῦ φωτὸς γενομέναι, atque hæc in inferiora corpora delapſę, poſteaquam ex illorum ergaſtulis ſolutæ ſunt, in ſole, quem eapropter μέγα πλοῖον ἥλιον, atque ἥλιον μεγάλην ναῦν appellat, ad ſuam rurſus beatorum in ſedibus columnam, in quâ denuo ſint unum cor-

pus, ἐν σῶμα contìnuò revehantur. Vnde non mirum ſi ſol ipſe perpetuum Animarum hinc inde vehiculum ſeu navigium, ex illarum ſplendore lucidus appareat. A quâ Manis opinione non multùm diſcrepare videtur ea, quæ ſolem perhibet LUCIS VEHICULUM eam ob cauſam appellari, quòd ex multis particularibus ignibus, qui in unum coaleſcant, ſingulis Sol ipſe diebus novus ſemper exoriatur: narrat enim Pomponius Mela ex montium quorundam ſupremo vertice, a noctis parte fere dimidiâ plurimos variiſquè in locis a ſe longè diſsitos ad horizontem apparere ſpeculantibus igniculos, qui, eâ quâ proportione dies imminet, accedant ad ſe propiùs, coeant, ex plurimis pauciores evadant, itaquè tandem ſimul uniantur omnes, ut unus ex omnibus ignis ingens appareat, qui ſeipſum in ſemetipſum demum cogens, atque adeò colligens, in ſphæ-

ram igneam minorem perfectioremquè semper se circinet, quoad paulatim assurgens, atque ab orbe noctis tenebras procul expellens, solis nomine decoretur. Ab hâc porro sententiâ propiùs abest Heraclitus, qui apud Aristotelem secundo Meteorologicôn novum quotidiæ fieri solem asseverat. Quæ si vera foret, esset utraque mirabilis opinio, attamen ad Anaxagoræ, quam refert in Lysandro Plutarchus, subtilitatem, per quam cur LVCIS VEHICVLVM Sol habeatur, explicat, accedere non videtur. Vult enim ille nihil aliud solem esse, quàm ingens maximiquè ponderis in Ætheris supremâ parte, quod propter vertiginem cadere nequeat, volutatum celerrimè saxum. In quo nulla licet, aut admodum exigua lux insit, recipiat tamen Ætheris in extimâ superficie suâ splendorem, quem per continuam reflexionem ad nos mittat undique, quo fit,

ut

ut non ſuo Sol, verùm alieno fulgore lucere videatur. At quandoquidem ſuâ in Civitate miratur Auguſtinus, cur propter ejuſmodi ſententiam reus factus ſit Anaxagoras, propterea, quamvis ſubtilitas illius nobis forte nequaquam probari queat, attamen ab Athenienſibus illam adeò ſcverè puniri, in tam igenioſi viri gratiam, nos ſaltem reclamare non pudeat. A cujus placito cùm non multùm abſit Pythagoricus ille ſol, cujus meminit e vetuſta illâ ſcholâ Philolaus; Et de hôc eam ob rem ſubiungere pauca non abs re fore arbitror. Si quæramus igitur a Pythagorâ quâ ratione LVCIS VEHICVLVM Sol eſſe queat, ſubjiciet illicò, naturæ vitreæ ſolem, coeleſtis in ſe radios ignis ſic ſemper admittere, ut refractum cum ſuo calore lumen idem ad nos transfundere nunquam deſinat, propterea què LUCIS VEHICULUM prædicari ſolem. Sed ab opinionibus illis

illis omnibus ad illam quæ primo Geneſeos habetur capite, ſi lubet, abeamus, ubi a ſupremo rerum omnium conditore Deo, ut lucem divideret a tenebris, Sol ideò factus eſſe perhibetur; quod ſic intelligunt interpretes optimi quique, ut ſolare corpus primigeniæ luci vehiculum a Deo creatum eſſe mordicùs aſſeverent. Quâ tamen ratione lux, quæ primo die creata fuit, ad ſolem ipſum, qui die quarto conditus eſt, tranſierit, & an in ſubjecto, an φῶς ἀσώματον, an σῶμα φῶς antea fuerit, an cum, atque in ſole pariter, eodem temporis articulo dumtaxat, exiſtentiam habuerit, viderint æqui rerum æſtimatores: Hìc enim diſputare non eſt animus, cùm ad propoſitum aliunde ſatis ſupraquè mihi ſit, Lucis Vehiculum Esse Solem, pluribus quàm par erat, ex variis antiquorum Philoſophorum placitis oſtendiſſe.

Qua-

QUapropter, ut idem analogicè in SOLE BRITANNICO ſimiliter ego demonſtrem, ſolum hìc jam mihi reliquum eſt. Atque in tàm multis, quæ hanc ad rem catervatim occurrunt, præcipuè cautum oportet, ut non modò luci, quâ de hìc agitur, tenebras perturbata tumultuoſaquè non miſceat oratio: Sed etiam ſtudendum præſertim, ut & huic quandam veluti lucem prudens diſtributionis ordo videatur accerſere. Igitur inter ea, ob quæ SOL noſter BRITANNICUS LUCIS VEHICULUM ab omnibus agnoſci poſsit, duo præ cæteris omnibus mihi maximè conſideraeda veniunt, primum ſcientia, alterum virtus. Quæ duo, tum eſſe lucem, tum in hôc ineſſe poſteaquam demonſtravero, hâc in parte lectori benevolo feciſſe me ſatis

illis omnibus ad illam quæ primo Geneſeos habetur capite, ſi lubet, abeamus, ubi a ſupremo rerum omnium conditore Deo, ut lucem divideret a tenebris, Sol ideò factus eſſe perhibetur; quod ſic intelligunt interpretes optimi quique, ut ſolare corpus primigeniæ luci vehiculum a Deo creatum eſſe mordicùs aſſeverent. Quâ tamen ratione lux, quæ primo die creata fuit, ad ſolem ipſum, qui die quarto conditus eſt, tranſierit, & an in ſubjecto, an φῶς ἀσώματον, an σῶμα φῶς antea fuerit, an cum, atque in ſole pariter, eodem temporis articulo dumtaxat, exiſtentiam habuerit, viderint æqui rerum æſtimatores: Hìc enim diſputare non eſt animus, cùm ad propoſitum aliunde ſatis ſupraquè mihi ſit, Lucis Vehiculum Esse Solem, pluribus quàm par erat, ex variis antiquorum Philoſophorum placitis oſtendiſſe.

Qua-

QUapropter, ut idem analogicè in SOLE BRITANNICO ſimiliter ego demonſtrem, ſolum hìc jam mihi reliquum eſt. Atque in tàm multis, quæ hanc ad rem catervatim occurrunt, præcipuè cautum oportet, ut non modò luci, quâ de hìc agitur, tenebras perturbata tumultuoſaquè non miſceat oratio: Sed etiam ſtudendum præſertim, ut & huic quandam veluti lucem prudens diſtributionis ordo videatur accerſere. Igitur inter ea, ob quæ SOL noſter BRITANNICUS LUCIS VEHICULUM ab omnibus agnoſci poſsit, duo præ cæteris omnibus mihi maximè conſideraeda veniunt, primum ſcientia, alterum virtus. Quæ duo, tum eſſe lucem, tum in hôc ineſſe poſteaquam demonſtravero, hâc in parte lectori benevolo feciſſe me ſatis

arbitrabor. Ac primùm ſcientias eſſe lucem ſive lumen, adeò conſentiens eſt ſapientum omnium opinio, ut licet totum vitæ meæ tempus in evoluendis eorum dictis ego poſuerim, nunquam tamen, quantum memoriâ repetere poſſum ſpatium præteriti temporis, a quoquam revocatum iſtud in dubium animadverterim. Et certè ſi qualitas iſta, cauſa videlicet cur a nobis videantur ea, quæ ad certam diſtantiam noſtris objiciuntur oculis, lux appellanda eſt, majori profectò ratione lux ea dici debet, quæ non vicina modò, ſed remota plurimùm, non ſolùm præſentia, verùm præterita, imò & futura quodammodò nobis ita conſideranda proponit, ut ea, ſi noſtris paterent oculis, clariùs nequaquam aſpicienda forent. Huc accedit quòd per ſcientias non tantùm res corporeas, verùm incorporeas, metaphyſicas, maximeque abſtractas a materiâ, quod ſo-

lis

lis lumini convenire nullo modo poteſt, manifeſtè poſsimus intueri. Hinc fit ut, meo quidem judicio, ſapientiſsimè ſuis in monumentis prodiderint e græciâ commici, quòd

Ο γραμματων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων.

Licet enim ſcientiarum expertes, ob lumē per aerem diffuſum, atq; ad ipſorū oculos uſq; pertinens, videre dicantur, quia tamen illorū animi ex diſciplinis liberalibus nullam admodūm lucem accipiunt, ptopterea videre licet, non videre tamen, ſine ullâ contradictionis umbrâ, dici poſſunt. Vnde cùm τὸ βλέπειν brutarum animantium habeant, τῷ βλέπειν verò, quod maximè proprium eſt hominum, careant, non mirum eſt ſi pecudum potiùs quā virorum apud ſapientes habeant appellationem, cùm præſertim a pecudibus externâ ſolummodò formâ differre videantur. Quapropter non mihi jam eſt animus, in referendis hanc ad

rem ſcriptorũ authoritabus innumeris hìc immorari diutiùs. Cùm præſertim iſtud æquè clarum, ac ſit ipſa lux, ab omnibus habeatur. Maneat ergo fixum, ratum, ſtatutum, decretum, atque immobile, Lucis appellatione ſcientiam exornari, quam in Rege longé præſtantiorem quàm in mortaliùm reliquis, divinitùs infuſam dumtaxat, tanquam ſoli lumen ineſſe, cùm ex radio, qui mundi prodit animam, ſuprà jam mirati fuerimus, hunc eam ob rem lucis eſſe Vehiculum in optimâ deduci conſecutione neceſſarium eſſe penitus exiſtimandum eſt. Quibus ita poſitis, ad alteram diviſionis meæ partem, quæ eſt de virtute, conſiderandam, mea promovenda eſt oratio, cujus nomen, ne ſim hìc longior quàm par eſt, nec legere, nec audire, nec dicere, imò neque cogitare vix ullus poteſt, qui jucundiſsimos iſtius Reginæ luminis radios in animo

ſuo

ſuo micare non illicò ſentiat, nam ut canit ille tertio carminum, propoſitum ad aliud licet,

*Virtus repulſæ neſcia ſordidæ*
*Intaminatis fulget honoribus.*

Vix enim quenquam ſic obſirmato in virtutem reperias animo, in quem vel etiam pro virili ſuâ parte ſi dicere fas eſt, reluctantem, per oppoſitos mille quantumvis obices amoris ſui radios illa non immittat: In quo ſine dubio lux ipſa ſolis ad iſtius dignitatem, quod apertum eſt omnibus, nec accedere, imò nec aſpirare poteſt. Quis enim non valeat occludere lumina Soli? In ſubterraneos commigrare ſpecus? Ad Solem nullo modo luci pervium opponere corpus? Denique in medias abdere ſe tenebras? Quamobrem cùm ſplendidiſſima, nobiliſſima, efficentiæquè maximæ lux ſit virtus ipſa, quod ne per varios hic importuniùs diſcurrere cogar authores, tanquam ipſo na-

turæ lumine cognitum, ſupponendum exiſtimo: cùm aliunde ſacris in paginis frequentius habeatur nihil, quàm per lucem deſignari virtutem, atque adeò vel hôc ſolo Veritatis ipſius teſtimonio ſatis explicatum omnes intelligant, cùm ab illius ore divinum id accipiunt effatum Matthæi quinto, οὕτω λαμψατο τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα, cùm iſtud inquam æquè notum ſit omnibus quàm quod maximè, propterea & in SOLE BRITANNICO ipſam ineſſe virtutem, quod a nobis ſuprà poſitum eſt, tandē aperiamus. Ad quod ſolum virtutis Regiæ nomen, hæc tam illuſtrem, tam Heroïcam, tam Divinam ſe mihi primâ facie conſpiciendam exhibet, ut ad eximium illius ſplendorem obſtupeſcat Intellectus, hebeſcat Animus, deficiat Ingenium, fugiat Ratio, Mens evaneſcat, hęreat Manus, attramentum renuat penna, γεάμματα papyrus. Quæ mi-

hi

hi clarè dicunt omnia, SOLIS BRITANNICI virtutem exiſtere omni laude prædicatione què longé majorem. Quodnam enim vel rapidiſſimum eloquentiæ flumen, ſi de tanti Regis Theologicâ virtute ſit inſtituenda quæſtio, non ex occurſu primo ſuum cohibeat impetum? Quòd ſi de Fide ſit illius agendum, non mortuâ illâ quidem, quæ locum in ipſo nullum unquam habuit, ſed de ſemper huic maximè propriâ, innumeris animatâ egregiê Regiéquè factorum, quę etiamnum extant, monumentis, quis vel dicendo poſſet illam adumbrare? Si Spes ejuſdem conſideranda veniat, quâ nunquam rebus fractus adverſis, ut nemo non vidit Anglus, ſed in Deum ſemper fuit erectus illius animus, tantæ virtutis notitia in intellectum non modò humanum, ſed nec Angelicum cadere vix ac ne vix quidem poteſt. Quid? Num preces quas ille

fundit

fundit ad Deum aſſiduas, e quibus veluti coruſcantem Moyſis alterius referre faciem ſæpe videtur, ardentis illius Amoris interni, qui Deo ſoli cognitus eſt, certiſſima ſunt indicia? Sed ut ab illius Theologicâ virtute ad Moralem accedamus. Viditne Solis orbis, ab eo tempore quo genus illuſtrat hominum, adeò prudentem, ſive in capiendis, dandiſve conſiliis Regem, ſive in deliberationibus & conſultationibus de mediis ad finem propoſitum convenienter eligendis, ſive in magnitudine animi in eorumdem executione plerumque neceſſariâ? An omnibus retro ſeculis tam in rebus ſupra modum arduis animosè ſuſcipiendis, quàm in æquo animo tolerandis iiſdem, Regem adeò fortem tulit orbis univerſus? An poſt homines natos unicuique quod ſuum eſt juſtiorem aliquando Regem dediſſe fatebimur? Nam ſi Deum conſideres, quis in illum eo Religioſior unquam extitit

Si homines, eosdemquè superiores, quis erga parentes magis Pius? Si æquales, Monarchas alios, nonne cum illis perpetuâ firmatam pace contractam habet amicitiam. Si inferiores, quantâ clementiâ, benignitate, curâ, liberalitate feratur in illos, omnem prorsus admirationem superare longè videtur. Denique an literatorum quispiam in iis, quæ nobis ex ruinâ superiorum temporum supersunt, monumentis omnibus, legere se meminit TEMPERANTIOREM, VERECVNDIOREM, MODESTIOREM, SEDATIOREM, MAGISQVE PERTVRBATIONES ANIMI REFRÆNANTEM. Hìc ego te, quisquis es appello, vel qui putas assentatiunculâ quâdam, Regis cujus hìc ego scribo panegyrim, velle me gratiam aucupari, vel qui ex Atlantum genere ritus humani degeneri profectus, dirâ contueris imprecatione Solem. Nihil enim hìc oratione meâ prose-

quor, cujus exempla clariora Solis ipſius radiis ſingulis diebus non intueatur Anglia. Quòd ſi præterea dicam, virtutem ipſam eſſe quandam velut imaginem, cujus prototypus ſit in REGIS CAROLI generoſo corde, quid dicturus es? Si addam hujus propriam ita virtutem, ut ipſius ANIMI altera quæpiam ſit ANIMA, num me ſupra modum adulatorem eſſe prædicabis? Sed ut te πρὸς ἥλιον obgannientem præteream, frendeas invide licet, huic tandem radio modus ſtatuendus eſt aliquis: In quo cum SOLEM BRITANNICVM eximio divinæ ſapientiæ, virtutumque omnium ſplendore clariſſimum oſtenderim, nonne LVCIS MAXIMÆ PRETIOSISSIMVM VEHICVLVM pariter ego demonſtravi? Illumquè non in Regum illorum album eſſe referendum, qui perpublicum præconem novę voluptatis inventoribus ingentem pecuniarum

vim

vim adpromittunt apud Athenæum. Nec Principes eos inter annumerandum, qui vitam in tenebris, etiam hodiernâ luce, cum mulieribus incluſi degunt, voluptatumquè in omnium cœno cum illis aſſiduè volutantur. Neque monarcharum ex illorum eſſe numero, qui μεγάλοις ἐκείνοις καλόωσις, ut Lucianus habet, ſimiles, externo fulgent auro, internamquè deformitatem occultare videntur. Quapropter, ut mei ſolis invidis omnibus, ſi qui tamen vel in orbe toto reperiantur, ora frænare poſſim, Senecæ Philoſophi prorſus audeam, propriiſquè illius verbis, mihi ſtatutum eſt hic adſcribere ſententiam. *Vos qui virtutem, cultoremquè ejus odiſtis, nihil novi facitis, nam & Solem lumina ægra formidant, & averſantur diem ſplendidum nocturna animalia, quæ ad primum ejus ortum ſtupent, & latibula ſua paſſim petunt, abduntur in aliquas rimas timidæ lucis.*

INterea nimias apud BRITANNICVM nos traxisse moras, quasi maxima facta sit huic injuria, SOL MVNDANVS expostulat; Atque ut omnes intelligant, quàm sit illius querelarũ justa ratio, quasi neglectum a nobis PRINCIPATVM hôc in radio quibuslibet ambitiosiùs ostentare videtur. Cui ut aliquo modo, in eum licet ratione nullâ peccaverimus, faciamus satis, apud illum, tanto Principi deferentes aliquid, hìc Aulicorum de more, si tibi lector arrideat, immoremur. Si verò quæras quorum sit ille Princeps, cœlestem hanc suspice curiam, palatium amplissimum, regiam solis domum,

mum, innumeros in illâ ſtipatores, Aulicos, pueroſquè, ut ita dicam, generis omnis honorarios. Ubi Sol in omnium medio, veluti rex, ab omnibus honoretur. Quod ſi Regiam tanti Principis ingredi cupias, hanc tibi Pelignus vates aperiet:

*Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,*
*Clara micante auro, flammas imitante Pyropo,*
*Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,*
*Argenti biſores radiabant lumine valuæ,*
*Materiam ſuperabat opus.*

Si cupis Aulicos illius agnoſcere, monſtrabit Ovidius:

*Lumina purpureâ velatus veſte ſedebat*
*In Solio Phœbus, claris lucente Smaragdis.*
*A dextrâ lævâquè Dies, & Menſis, & Annus,*
*Sæculaquè, & poſitæ ſpatiis æqualibus Horæ,*
*Verquè novum ſtabat cinctum florente coronâ.*

Et cætera, quæ pluribus hanc ad rem proſequitur. Quòd ſi conſulas eâ de re ſapientiæ candidatos omnes, ab illis proſectò ſyderum omnium Principem,

Regemquè ſolem certatim appellari, contradicentequè nemine, reperies. Adi vel ipſam grammaticorum fæcem, quid aliud precor ab illis addiſces? Quàm ideò vocari ſolem, quòd tantam SOLVS majeſtatem SOL obtineat, ut ad ejus preſentiam, aſtra reliqua totum quidquid ſplendoris habent, honoris huic delati gratiâ, vel abſcondant, vel quòd minimum ad ſupremum illius decorem conferre vereantur, vel quòd ab ingenti fulgoris excellentiâ ſic abſorbeantur, ut admodùm exigua, vel pene nulla prorſus appareant. Sed ut ab authoritatibus omnibus abeam, mihi ſit teſtium omnium ad inſtar in Somnio Scipionis Tullius unicus, ubi dicitur ab illo SOL DVX, ET PRINCEPS, ET MODERATOR LVMINVM RELIQVORVM, quod quàm ſapienter prolatum fuerit ab eodem, explicandum eſt. Ac primò conſtat apud omnes, omnia lumen a Sole mutuari

tuari ſydera, quod verùm eſſe patet, tùm ex lunę defectionibus, tum ex menſtruis illius incrementis, atque pro variâ ejuſdem ad Solem habitudine, decrementis, tum ex iis, quæ cum ipſâmet Lunâ Veneri celebres admodùm in Aſtronomiâ convenire ſæpius obſervarunt: Unde fit ut a rationum paritate, cæteris aſtrorum a Sole communicari lumen facile ſibi perſuaſerint. Deinde certum eſt ſic lumina moderari ſolem, ut pro illorum moderatione variâ, quæcunque fiunt hôc in orbe viſibili, maximam partem ortum habere videantur. Et quæſo te Lector humaniſſime, undenam putas diem, noctem, varias anni tempeſtates, & quęcunque ſunt illorum propria maximè, proficiſci? Nonne ex diverſâ per Solem moderatione luminum hęc omnia contingere ſciunt etiam illi, qui neſcire ſe quidquam ſatis apertè profitentur? Tertiò nonne manifeſtum eſt, non tamen omnibus

nibus æqualiter, *Planetarum Aſpectus, Domos, Carpenta, Perſonas, Gaudia*, Cæteraquè id genus, pro diverſâ luminum a Sole moderatione, maximè diverſos in rerum naturâ producere effectus. Denique moderantem lumina Solem, ſi non captus es oculis, atque in cœlum paululùm caput erigas, certo certiùs poteris intueri. *Nam ibi ſuo lumine Sol in Stellarum orbibus ſcintillat, Pallet apud Saturnum, in Jove micat argenteus, ad Martem igneſcit, in Venere lacteus apparet, obſcurus eſt in Mercurio. Si ſuſpicias aërem, pro varià per Solem eundem luminis ejuſdem moderatione, Nubes, Iridem, Auroram, Parelios, & quemadmodum placet aliquibus, Cometas, tam variis indui coloribus animadvertes, ut per grande miraculum innumeri tibi prorſus appareant.* Nihil ego loquor *colorum omnium* quicunque viſuntur ſive in aquâ, ſive in rebus quibuſlibet aliis *Præter lumen* ex Doctorum plurimis

rimis *aliud formale nullum eſſe*, quod, pro diverſâ moderatione luminis, diverſum ſimiliter appareat. Taceo infinita propemodum aſpectui gratiſſimorum colorum miracula, quę pro diverſâ luminis per Solem moderatione, ad *Priſmatis triangulare vitrum*, ut cætera ſileam, ſupra quàm quod credi poteſt, intuentes ſummam rapiat in admirationem. Et licet per lumen ignis nonnulli colores appareant, tantùm tamen illos inter, prioreſquè diſcriminis ineſſe videtur, quantum ignis inter, ſoliſquè lumina reperiri certum eſt. Sileo pro diverſâ per Solem eundem moderatione luminum, in terrę viſceribus generari metalla Chymicorum ex diſciplinis haberi. *Ubi Solus ipſe Sol primario lumine producat Aurum, cum Saturno Plumbum efficiat, Æs cum Jove formet, Marti ferrum attribuat, det Veneri ſtannum, Argentum mobile Mercurio, Quieſcens verò Lunæ concedat.* Nihil

dico cum Aſtrologorum pleriſque, in primæ Domus cœleſtis initio, ubi ſtatuunt Horoſcopum, pro diverſâ luminis ſolaris cum reliquis Aſtrorum moderatione, naſci diverſas cum hominibus in iiſdem affectiones. Ita ut *Solis lumen hìc in Saturno Triſtes, atque Moroſos efficiat, Homicidas in Marte, in Mercurio Trapezitas: Generet in Ariete Magnanimos atque Liberales, Poëtas in Geminis, in Capricorno Reges: Producat in Caprâ Curioſos, Bibaces in Cratere, in Orione Venatores.* Omitto per luminis Solaris in Lunâ moderationem *Acceſſum, Receſſumquè maris exiſtere.* Atque cùm ex naturâ ſuâ ſuperiorem terræ locum ſibi vendicent *Aquæ*, ipſas per Solaris luminis, *Borealibus in Aſtris*, moderationem, quod non vulgares contendunt Aſtronomi, *quo minùs ſuæ naturæ conſentaneum locum obtineant, terreſtremquè globum ſuis undequaque fluctibus amplectantur, fortiter inhiberi.* Deniqueſſe

ſilentii

silentii tenebris involvo *inferiorem hunc* sic a diversâ per Solem luminum moderatione *stare mundum, ut si hæc absit moderatio, totus cum suis animantibus omnibus corruat illicò sit omnino necessarium.* Quamobrem quisquis *Ducem, Principem, moderatoremque luminum reliquorum, Astrorum* videlicet, colligit ex superioribus a Tullio verissimè Solem appellatum esse, ille pariter, cur hôc in radio Solem eundem ASTRORVM PRINCIPEM depinxerimus, ratione facillimâ deducere potest.

EApropter cùm exigat a nobis instituti ratio, ut ASTRORVM PRINCIPEM ALTERVM, BRITANNICVM videlicet, adeamus, & nos similiter ad tempus aliquod illius Aulicos esse, rationi maximè consentaneum est.

Longè plures enim ſupero Sole STIPATORES, STELLAS intelligo, ſuo in comitatu, tanquam Soli ſuo, Principi, Moderatori, debitum exhibentes honorem, ſingulis illum habere diebus ita patet ipſis, qui ætate noſtrâ vel tantillùm habuerunt Angliam, ut apertiùs ſibi nihil exiſtiment. In quo mihi majorem Sole dignitatem obtinere profectò videtur, quòd ad ſua ſemper ille progrediatur Aſtra, ad hunc verò ſua, ubicunque locorum ſit, cum honore debito ſemper accedant. Quòd ſi per STELLAS, DIVITES intelligantur, ut Pindarus innuit in Olympiis Odê ſecundâ, ὁ πλοῦτος ἀσὴρ, verè PRINCIPEM STELLARVM REGEM arbitrabimur, cùm in Angliâ tam innumeri, propter eam, quam Regis beneficio continuam habuêre pacem, divitiis omnibus affluant, ut omnia regnorum vicinorum bona hunc in orbem confluxiſſe videantur: Atque de civitate

vitate LONDINENSI propterea jam æquè meritò, ac de Romanâ quondam Virgilius quis dicere valeat:

*Verum* Hæc *tantum alias inter caput extulit urbes,*
*Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi.*

Si verò per *Aſtra* ob generis ſplendorem *Nobiles* accipias, quemadmodum, ut multis placet, Joannes primus Valeſius Rex Francorum *Stellatorum Equitum ordinem*, quorum eximiæ nobilitatis erat inſigne *Stella* aureis circumfuſa radiis, inſtituiſſe perhibetur. Cùm tamen ex Annalibus Pariſienſibus Jacobi Broulii conſtet *Stelliferum hunc ordinem* primitus ab Rege Franciæ Roberto, ad annum Chriſti milleſimum vigeſimum ſecundum, octavo die Septembris inſtitutum eſſe, qui tunc temporis e nobilitate primariâ hunc ad ordinem triginta ſelegerit Equites, colloquè ſingulorum, ad pectus *Stellâ* micante, torquem aureum adaptarit. Si nobilitatis ſplendorem, inquam, *Stellæ* refe-

 rant,

rant, ubi plures, amabo te Lector, quàm in Angliâ fulgere Nobiles, LORDS intelligo, ut de ſanguine Regio nihil ego dicam, reperias? Quòd ſi per *Aſtra* diſciplinis in nobilioribus, propter ſcientiarum quo de ſuprà lumen, quis *Doctores* indicari contendat, quis repugnare audeat? Si enim ſuperiora corpora, quòd ſcintillas luminis aliquot ex ſe diffundant, aut lucis alicujus radios emittant, dicantur ideò Stellæ, a fulgore vero ſortiantur Aſtrorum appellationem. Sydera denique, pro variorum luminum in unum compoſitione, nuncupentur: Quid de *Viris tam multarum ſcientiarum ſplendore multiplici clariſſimis* arbitrabimur? Cùm doctrinæ longè nobilius, quàm habeant Aſtra, lumen in ſe poſſideant, micanteſquè illius radios vel remotiſſimas ad orbis partes, cum libuerit, emittant. Si enim ob aliquam Philoſophicis in rebus eruditionem,

qui

qui apud nos, immeritò quidem, malè nomine voluptatis audit Epicurus, Sol ab antiquis ideò prædicetur, quòd Philoſophorum omnium Princeps ille, tanto ſapientiæ ſuæ lumine ævitatis ſuæ ſapientes ſuperare videbatur, quanto ſuo ſplendore Sol Aſtris omnibus antecellit, quemadmodum in illius vitâ Diogenes Laërtius tradere poſteritati non veretur, quemadmodum & ipſis aperté verſibus Lucretius innuit.

*Ipſe Epicurus obit decurſo lumine vitæ,*
*Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes*
*Reſtinxit Stellas exortus uti aetjus Sol.*

Nonne jure ſaltem æquali, ætatis noſtræ DOCTORES, ſi non SOLES, at STELLAS, cùm veteres Philoſophos omnes longo ſcientiarum omnium intervallo præcedere videantur, appellare fas erit. Qui ſi præterea cognitionis ſuæ lumine, ad ſupernas illas beatarum mentium ſedes hominibus iter aperiant: An conceſſum illis STELLARUM

a Da-

a Daniele nomen disputare quisquam audeat ? Et certè Regi subditos esse laureatorum id genus ordinum omnium innumeros : *Episcoporumque præsertim, quos non favor, at doctrinæ suæ splendor eximius in hôc alto dignitatis gradu conspiciendos exhibet,* sic patet iis in orbe toto, qui non animi quapiam ægritudine præter rationem abripi se patiuntur, ut propter infinitos propemodùm generis omnis scientiæ radios, quos ad omnes orbis partes, per libros ab ipsis in lucem editos, undequaque diffundunt, ut eapropter inquam admiratione maximâ teneantur. Quòd si quis malit cum Theophilo Antiocheno Patriarchâ in Religionis Christianæ calumniatores, atque cum Leone Sermone tertio de Epiphaniâ, præcipuos CHRISTIANÆ RELIGIONIS AMATORES appellari SYDERA, jure meritissimo PRINCIPEM ASTRORUM CAROLUM REGEM appellabit, cùm

cùm nullibi terrarum major, quàm in Anglisomnibus,ut Ordinum omnium Angliæ comitia teſtantur, hodiernâ luce Chriſtianæ Religionis vigeat amor. Denique ſi per ASTRA cum Imperatore Caligulâ VIGILES quis exprimat, qui ex Suetonio, coronarum ornatarum ſyderibus, quibus diurnos nocturnoſquè ſignificaret exploratores, novum genus excogitavit: An ab orbe conſtituto,ad alicujus Regni conſervationem, ſapientiori cum politiâ, quàm ad Angliç terminos, aliquando conſtituti fuere nocturni diurniquè vigiles ? Qui, ſi hoſtiles appareant copiç, exiguo temporis articulo, quod admirationē omnē ſuperare longè videtur, toti regno ſignificant: Vnde incredibili propemodùm cum ordine, eodem pene quo videt hoſtem Anglia momento,ſuorum validiorem oppoſitum miratur exercitum. Quare faceſſe jam procul hinç, quiſquis de Regis Caroli

in STELLAS principatu dubitare vel apud temetipsum ausus es. Apage inquam : Quisquis enim SOLEM BRITANNICUM tam multorum, tam sublimium, tam CLARORUM ASTRORUM PRINCIPEM debito prosequi renuit honore, is profectò non inter ASTRA, sed fatuos inter ignes, neque purioresillos quidem, sed maximè terrestres, annumerandus est.



TQue ut tibi magis innotescat, amice lector, quàm Magnus ille Princeps habeatur, & hunc cum Solis magnitudine, quam hôc in apparenti radio satis manifestam intueri potes, ex instituti mei ratione con-

conferendum existimavi. Vbi mihi sit, pra modum Anaxagoræ, quâ Peloponeſo majorem Solem arbitratur, deridenda venit opinio: Neque hìc etiam quantumlibet Divino Platoni, nec ipſi Naturæ Genio Philoſophorumquè Principi condonandum putem, quòd ille Solem Lunâ Paulò majorem ſic definiverit, ut eum Lunæ quolibet Aſtro viciniorem exiſtimarit. Quæ duæ clariſsimorum in antiquitate virorum ſententiæ, tam longè diſtant a vero, ut nihil, vel quiſcientiarum omnium Reginam Mathesim primo de limine vix aliquando ſalutarit, nihil inquam magis abſurdum, inſulſum magis nihil, nihil magis a veritate remotum arbitretur. Enimvero, ut parallaxes miſſas hìc ego faciam: Solem multis partibus Terraqueo globo, innumeris verò quàm ſit ipſa Luna majorem, ita manifeſtis hìc ego probabo rationibus, ut ei qui non omni ratione

careat, eâ de re nullum dubitandi locum relictum iri verè mihi perſuadeam. Atque ut clara, maximè lectori probatio mea videatur, de Terrâ priùs, de Lunâ vero poſtmodum agendum eſt. Igitur ut a Terrâ ducamus initium, ſi non illâ Sol eſſe major admittatur, vel æqualem vel minorem eſſe neceſſariò ſtatuendum eſt: Nam præter majus, minus, æquale, in corporibus ſub ratione quantitatis menſurandis, aliud nihil intermediũ, quod ego ſciam, vel cogitatione fingi poteſt. Iam verò quòd ratione nullâ terræ Sol eſſe poſsit æqualis, hinc clariſsimè deduci poteſt, quia ſi hoc ita foret, Terra ſuam æquali ſemper amplitudine Cylindri ad inſtar, atque in oppoſitas Soli partes infinitam, ut leviter Optices, atque Geometriæ tinctus præceptis intelligit, ex adverſo projiceret umbram. Quo poſito, non modo Luna, ſed & Aſtra Firmamenti neceſſariò deficerent

rent, aut ne cuiquam disputandi præbeam ansam, eum, quem a Sole majorem splendorem accipiunt, saltem amitterent, quod non modò præteritæ omnium retro seculorum, sed & experientiæ quotidianæ reluctari manifestissimum est. Unde cùm Luna, quód pluribus infrà patet, Sole sit ipso longè minor atque adeò Terrâ, cùm hæc Soli ponatur æqualis, si haberet umbra Terræ æqualem in Lunæ coelo cum ipsâmet Terrâ magnitudinem, quamplurima cum ratione, nec non experientiâ pugnantia maximè, necessariò forent admittenda. Inter quæ primum istud occurrit, totalem Lunæ dumtaxat, non exiguo, ut accidere solet, sed benè longo tempore durare posse defectionem: Cum enim eadem umbra multo minor Lunâ statuatur, dificiliùs ab illâ sine dubio se posset explicare; siquidem aliunde cum Lunâ partem ad eandem moveri Solem ne-

mo non exploratum habeat. Alterum, quod inde ſequeretur abſurdum, probaret Lunam non tantùm in *Capite vel Draconis Caudâ*, ſed etiam cùm ab illis punctis longiùs removetur, pati poſſe deliquium. In hâc enim hypotheſi non ad eclipticam modò pertineret umbra Terræ, ſed etiam in alias circumquaque partes ad Terræ magnitudinẽ ſe latiùs extenderet: Vnde vix ullum ſine Lunæ deliquio poſſet haberi plenilunium. Tertium inferret evidenter *Lunæ defectiones in capite caudâquè Draconis ad Augem Perigæumquè tam Excentrici quam Epicycli* fore ſemper æquales. Quæ omnia cum tot ſeculorum experientiæ maximè repugnent, non æqualem eſſe Terræ Solem, imò neque minorem lippis atque adeò tonſoribus facile demonſtrare queunt. Si enim Terrâ minor Sol eſſe prædicetur, ex præceptis ejuſdem Optices atque adeò Geometriæ, Terræ producereтur umbra

bra non æqualis illa quidem, ut ſuprà diſputatum eſt, ſed major ac major in infinitum. Quo enim a Terrâ longiùs abeſſet, eo ſemper exiſteret amplior: Vnde ratione fortiori, non eadem incommoda ſuperiora tantùm, ſed ultimum abſurdius conſequi neceſſarium omnino foret. Hôc enim poſito, ſic Lunæ differrent eclipſes, ut quo magis a nobis removeretur illa, illa majorem longiſsimamquè pateretur Eclipſin, quod quàm ſit abſonum, Aſtrologorum oratione longiori demonſtrandum relinquo. Cùm igitur neque Terræ Sol æqualis, neque minor eâdem exiſtat, majorem illum admitti profectò neceſſarium eſt: Et ita quidem, ut multis partibus, nec enim illarum numerum cum pleriſque definire mihi eſt animus, Terrâ majorem exiſtere Solem eruditus vel mediocriter apertè fateatur: Nam cum immenſam Terraquei globi molem a Sole magni-

nitudine ſuperari conſtet ex ſuprà dictis, ſine ullâ dubitatione, hunc a Terrâ longiſſimè removeri, cùm tam modicus appareat, evidentiſſimum eſt. Unde præterea ſic arguo, niſi multo major totâ Terrâ Sol eſſe concedatur, ab extremis diametri partibus ejuſdem radii, per extrema diametri Terræ longiùs ultra producti, cùm tam modico a ſe invicem diſtare videantur intervallo, ut paralleli fere ſemper appareant, vix tandem, poſt immenſum propemodum ſpatium, in ſe invicem concurrentes incident, propterea què & umbra Terræ Stellas involvet, atque in Lunæ cœlo æqualem penè cum Terrâ magnitudinem adhuc habens, eadem quæ priùs, generabit abſurda. Ex quibus omnibus Solem multis partibus Terrâ majorem, ipſomet Sole clariùs inferendum eſt. Quamobrem, ut promiſſis ego ſtare videar, Solem eundem Lunâ partibus propemodum innume-

ris

ris esse majorem, hôc in radio probare reliquum solummodò mihi jam incumbit. Quod ex superioribus idem, ne lectoris in animo rationum pluriumm multitudine fastidium aut nauseam ingenerem, clarè deduci nullo negotio potest. Cum enim in apicem umbram terræ desinere constet, magisquè semper imminui quo longiùs ea producitur, certè in Lunæ cœlo non esse tantam, quanta sit ipsa Terræ diameter, manifestum est. Quapropter cùm adhuc ibi multo major eadem umbra, quàm Luna sit appareat, siquidem in illâ per temporis spatium aliquod Luna tota deliteſcit, in necessariâ profectò consecutione colligitur, multis partibus Terrâ minorem esse Lunam, cùm autem & ipsâmet Terrâ multis partibus majorem Solem esse probaverimus, nonne pariter, quod positum est a me suprà, fœlici concluſum exitu non iniquus rerum æstimator arbitrabitur?

ARbitrabitur profectò, sed in SOLE BRITANNICO qui coner idem hallucinari me certo certiùs, meam prævenientes mentem, existimabit aliquis. Putabit enim ille *Polyphemum*, *Enceladum*, *Atlantem*, *Briareum*, *Gigem*, *Ægeona*, *Tityum*, *Typhoëa*, *Aolidas*, *Cyclopas*; *fabulosósque Poëtarum Gigantes*, majorem apud homines fidem invenire posse, quàm ea, quæ hôc in radio probanda tam imprudenter ego suscepi: Putabit *Talmucidorum figmenta de Og Rege Basan*, *qui propter ingentem corporis molem Diluvium evaserit*, *cujusquè in demortui cum venatore tibiam cervus ingrediens per dimidium in illâ diem agitatus ab eodem oberrarit*, id genus inquam figmenta longè magis credibilia putabit, quàm quod hìc aggredior: Putabit maximè

maximè verum, quod in bello Cretico refert Solinus, *hominis cadaver triginta tribus cubitis longum, quod & Romanorum stupuêre legati, ex insolenti fluminum exundatione repertum esse*: Putabit verè scriptum à Plinio in Insulâ Cretensi terræ motu montem apertum *hominis cadaver, quod ipse dudum tegebat, quadraginta sex cubitorum longitudinis conspiciendum exhibuisse*: Putabit a veritate non abesse, quę refert in Sertonio Plutarchus, *Antæi corpus sexaginta cubitos longum, in Mauritaniâ conditum, atque ab ipsomet Sertorio exhumatum, visum, honoratum esse*: Putabit a vero nequaquam abhorrere, quæ Symphorianus Campesius in horto suo Gallico refert, *In vastissimâ nimirum Siciliæ apertâ casu fortuito spelunca, ad ducentos cubitos longum, hominis inventum esse cadaver*: Putabit præ cæteris omnibus verissimum, quod in Civitate Dei prodit Augustinus, *in Utica sub dumtaxat littore visum a se multisque*

ARbitrabitur profectò, sed in SOLE BRITANNICO qui coner idem hallucinari me certo certiùs, meam præveniens mentem, existimabit aliquis. Putabit enim ille *Polyphemum, Enceladum, Atlantem, Briareum, Gigem, Ægeona, Tityum, Typhoëa, Aolidas, Cyclopas; fabulosósque Poëtarum Gigantes*, majorem apud homines fidem invenire posse, quàm ea, quæ hôc in radio probanda tam imprudenter ego suscepi: Putabit *Talmucidorum figmenta de Og Rege Basan, qui propter ingentem corporis molem Diluvium evaserit, cujusque in demortui cum venatore tibiam cervus ingrediens per dimidium in illâ diem agitatus ab eodem oberrarit*, id genus inquam figmenta longè magis credibilia putabit, quàm quod hìc aggredior: Putabit maximè

maximè verum, quod in bello Cretico refert Solinus, *hominis cadaver triginta tribus cubitis longum, quod & Romanorum stupuêre Legati, ex insolenti fluminum exundatione repertum esse*: Putabit verè scriptum à Plinio in Insulâ Cretensi terræ motu montem apertum *hominis cadaver, quod ipse dudum tegebat, quadraginta sex cubitorum longitudinis conspiciendum exhibuisse*: Putabit a veritate non abesse, quæ refert in Sertorio Plutarchus, *Antæi corpus sexaginta cubitos longum, in Mauritaniâ conditum, atque ab ipsomet Sertorio exhumatum, visum, honoratum esse*: Putabit a vero nequaquam abhorrere, quæ Symphorianus Campesius in horto suo Gallico refert, *In vastissimâ nimirum Siciliæ apertâ casu fortuito spelunca, ad ducentos cubitos longum, hominis inventum esse cadaver*: Putabit præ cæteris omnibus verissimum, quod in Civitate Dei prodit Augustinus, *inlustri censi dumtaxat littore visum a se multis-*

*què aliis tam ingentem hominis dentem, ut si minutatim concisus ille fuisset, centum e nostris potuisset adæquare*: Putabit, ut de Scripturæ Gigantibus ego fileam, quæ de variorum hominum ingenti magnitudine, suis Historici prodidêre monumentis, hyperbolem nullo modo redolere. Sed putet ille quidquid fuerit ipsi visum. Ego vero, ut quis sit meus de vastâ corporis humani mole sensus paucis obiter aperiam, libenter assentior Augustino, qui tertio de Civitate Dei talibus hanc ad rem verbis sic opinatur. *Nonne in corporibus hominum*, inquit, *satius est modicam staturam cum sanitate habere, quàm ad molem aliquam Giganteam perpetuis afflictionibus pervenire, nec cùm perveneris requiescere, sed quanto grandioribus membris, tanto majoribus agitari malis.* Itaque nihil est bone vir, cur adeò juveniliter exultet, atque per tot monstrorum ostentationem tua de me quasi triumphet oratio. Non enim

mihi

mihi fuit unquam in animo SOLEM BRITANNICVM corpore terrâ majorem oſtendere, cùm hoc in illo peccatum, perfectio verò nequaquam exiſteret. Dicam tamen audacter aliquid amplius, non corpus quidem SOLIS BRITANNICI, at unicam illius partem univerſâ terrâ, orbequè toto longè majorem exiſtere. Ne mihi fidem adhibeas, humane Lector, ſed rationem ſi placet auſculta, cùm enim accipis, poſteaquam de Mundorum infinitate diſſerentem audiſſet Alexander Anaxarchum, eâ de cauſâ maximam lachrymarum vim effudiſſe, quòd necdum unicum debellaſſet. Annum orbe majus Alexandro fuiſſe cor exiſtimas? Quis enim continens contento majus eſſe neſciat? Cùm autem orbis unicus ad explendam cordis Alexandri capacitatem nequaquam ſufficeret, ut etiam Juvenalis ipſe teſtatur,

*Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis;*

Num longè majus istud orbe fuisse prædicandum est? Quod si hanc Alexandri μεγαλοψυχίαν cum magnitudine animi Regis nostri conferre mihi permittas, num cor illius ad istius magnitudinem velut atomus ad universum comparatus apparebit? Cor enim justi Regis, quemadmodum optimè rationatur Hugo, licet adeò parvum, ut vix ad unius Milvi refectionem sufficere posset, adeò tamen magnum est, ut infinitis, de quibus minimè laborat, mundis expleri nequeat, sed in Deo solo tantùm acquiescat. Unde semper rerum terrenarum omnium jacturam, cùm Deum in se possideat, pro nihilo ducere videbitur. Sileo ex Bonaventurâ in Dietâ salutis, virtute præditum existere totâ terrâ longè majorem, ut in Rege quæ suprà dicta sunt animadvertamus. Quis enim animosior eo fuit unquam? Quis justior? Quis majori virtute præditus? Si quæris Magnitudinem

tudinem ejus animi, nam de Juſtitia ejuſdemquè Virtute ſuprà, curiam ipſam ingredere, ipſos interroga quibuſcum aſſiduè commoratur. Adi non illos quibus Sol ipſe formidabilis eſt, ſed illos qui velut HELIOTROPIA ſuum nunquam deſerunt Solem, qui velut ASTERITÆ lapides huic ſuo Soli tempore ſe quovis objiciunt, ut ab eodem ſemper accendatur. Si reſponſum expectas, nunquam majoris animi Regem inveniri poſſe, ſine ullâ prorſus hęſitatione, ſubjicient illicò; Atque ad iſtius probationem innumera, quorum ſunt ipſi teſtes, admiratione quâlibet ſuperiora proferent exempla. Et certè *Si quis ipſos Lanios hominum potiùs, quàm Reges atque Imperatores, magnanimos appellet, qui in alienas poſſeſſiones, contra ſupremi Regis, atque Imperatoris omnium Dei voluntatem, per exundantes ſanguinis humani fluvios involare nunquam deſinunt*; Et fures, & homicidas, & raptores,

res, & ſacrilegos omnes, magnanimos arbitretur. *Cur enim qui unicum occidit hominem, dicatur homicida, qui verò plusquam duos milliones hominum Cæſar interficiat, magnanimus Imperator habeatur? Cur qui decem rapit aureos tanquam fur agatur in crucem, qui verò totum ſpoliet orbem, Magnanimus Alexander, Rex Magnus vulgò prædicetur? Ille, ille vere magnanimus exiſtimandus eſt, cujus animus magnitudine conſilii, tolerantiâ rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus denique omnibus, ut mœnibus ſeptus a triſtitiâ, irâ, vindictâ, avaritiâ, ambitione, neque vinci, neque poteſt expugnari.* Quæ, vel quia Regi partim ſuprà demonſtravimus ineſſe, partim infrà demonſtraturi ſumus: Propterea ab illis hìc, cùm ſequens aliunde me ſuâ pulchritudine radius invitet, prorſus abſtinendum exiſtimavi.

Magis




MAgis enim in hôc, quàm in reliquis omnibus admirabilia, & quemadmodum vel primus illius indicare poteſt aſpectus, longè majora proponuntur. Quamvis enim nunquam neque in LVCE, neque in CVRSV, neque in OPERATIONE deficientem apertè radius iſte non exprimat, ſic tamen intelligendum evidenti demonſtratione ſatis ex infrà dictis, mei ſolis Lector amans, inferre poteſt. Aç primùm in LVCE NVNQVAM DEFICERE SOLEM, oculorum rationiſquè judicio confirmari poteſt: Licet enim dicatur Sol aliquibus occidere, in ſe tamen reapſe nunquam occidit, ſed in quo nonnullis occidit horizontis puncto,

in eodem prorſus aliis oritur: Unde ſemper occidens, ſemper oriens, *Quamvis nec oriens, nec in ſe ſit occidens, ſed perpetuus fons luminis exiſtat*, reſpectu diverſorum, quolibet articulo temporis, ob terræ ſphæricitatem appellari poteſt. Idquè tam certum eſt, ut illis qui dirigunt ad orientem iter, itineris confecti ductâ ratione, diebus ſingulis citiùs Sol oriatur, citiùs occidat: Illis verò qui occidentem verſus emetiuntur iter, ejuſdem ſimiliter habita ratione, tardiùs Sol oriatur, tardiùs occidat. Unde ſi eâdem quâ Sol velocitate proportionaliter, hôc quem calcamus in orbe, per ſubjectam Soli viam, ferretur aliquis, a quâcunque ſumeret horâ perfectionis initium, ſi ad orbis uſque diſſolutionem continuò moveretur, eandem ſemper ubique locorum prorſus inveniret horam: Exempli cauſâ, ſi diſcederet horâ de meridie primâ, quocunque is accederet, licet ad tempus æternum Solem

ſeu

ſeu præcederet, ſeu eo quo dictum eſt modo ſequeretur, horâ de meridie primâ ſemper accederet. Sed cùm ex rotunditate Terræ manifeſta ſatis hæc habeantur, ad ea quæ non æqualiter nota ſunt omnibus, ad Solis eclipſin videlicet accedamus: In quâ licet ex antiquis atque ex ætatis noſtrę plurimis hominibus ignari, ſuo privari Solem fulgore ſibi perſuaſerint, intelligentes tamen, contrarium ſemper exiſtimarunt. Nec eſt quòd ridiculam Sinarum, qui ſecum natam, interituram ſecum arbitrantur ſapientiam, eâ de re quâ de ſuprà, ſententiam hic ego referam. Volunt enim SOLEM eſſe VIRVM, LVNAM verò MVLIEREM, quorum cum eclipſin animadvertunt, clamant a cœli Principe tum Solem, tum Lunam addictos eſſe morti, unde ſimul omnes, quibus poſſunt precibus, ab hôc ſupremo regnatore cœli veniam gratiamquè ne morte afficiantur expoſcant,

quam ita reformident cœleſtes hæ fa-
ces, ut ſuum præ timore ſplendorem
omnem amittere videantur: Quem
demum impetratâ veniâ gratiâquè præ
gaudio recipiant. Sed ſunt iſta qui-
dem, velut & rudioris ætatis de Lunæ
laboribus mera deliria. Cùm enim
Lunæ defectum priores agnoſcerent,
hancquè tunc temporis ex maleficò-
rum hominum incantationibus labo-
rare maximè putarent, cymbalorum
tinnitu, horrendiſquè cœlum clamori-
bus implentes, aliquod tanto malo re-
medium adhibere conabantur, ut in-
cantantium voces non audire valens,
ab iiſdem minus illa pateretur. Illis
igitur cæteriſquè id genus aliis præter-
miſſis, de verâ Solis eclipſi duobus hìc
verbis agendum eſt. Quanquam nul-
la Solis eclipſis abſolutè vera dicenda
eſt, cùm in ſe nunquam Sol ipſe defi-
ciat, at ſolummodò reſpectivè, ali-
quorum videlicet habitâ ratione, reſpe-

ctu

ctu quorum, cùm ad ipsos nimirum, propter interpositionem impervii luci corporis, Lunæ duntaxat, Solem inter, suosquè ipsorum oculos objectæ, radii solares pervenire nequeant, Sol deficere quodammodò sentiatur. Unde fit ut ab orbe constituto nunquam visa fuerit Solis eclipsis universa, ut de illâ nihil ego disputem, quę Christo morente contigisse legitur, multi enim & quidem graves authores existimant extra Palestinam, quidquid Areopagitam importuniùs obtrudant aliqui, a nullo conspectam unquam fuisse. Ut autem magis tibi constet, amice Lector, nunquam in se quoad lucem deficere Solem, æquâ debes animi lance ponderare, quòd una eademquè Solis eclipsis eodem temporis articulo totalis aliquibus, nonnullis dimidia, modicâ ex parte plurimis, reliquis verò, cùm totum Solem accipiant oculis, nulla prorsus appareat. Quæ si tibi nunquam antea

perſpecta fuerunt amice Lector, ut eruditum illum pulverem nonnihil attingas non modò ſuadeo, ſed pro viribus hortor. Hæc enim *Matheſeos ſtudia* longè melius quàm ea, de quibus Romanus Orator, *Adoleſcentiam alunt, Senectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, Peregrinantur, ruſticantur.* Atque hæc quidem de Solis eclipſi dicta ſufficiant. Jam verò ut de Scripturæ Miraculis, Copernicique ſententiâ hìc ego ſileam, quòd ſuo IN MOTV SOL NVNQVAM DEFICIAT leviter attingamus, nam tam conſtans, tam ordinatus, tam ſemper ſibi ſimilis hìc motus eſt, ut quo in loco, quandiu, per quot apparentis ipſius diametri digitos, quo in cœli Signo, Gradu, Minuto, Secundo, poſt annorum multa millia, ſi tamdiu ſtaret orbis, quo die, horâ, illiuſquè vel minimâ parte,

Sol

Sol pati debeat eclipſin, tam certò mediocriter in Aſtrologiâ verſatus prædicere poſſit, ut certius ab ullo mortalium Solem eundem videri poſſe non exiſtimem. Quapropter æternam ſecum referat ignominiam ignarus æquè ac impoſtor Mahumetes, cum ſuo in Alcorano ad fontē rubrū dormientem ab Alexandro Magno Solem eſſe repertum conſtanter aſſeverat. Id enim æquè veritati conſentaneum eſt, atque iſtud, quod eodem in libro de ſe narrat idem, ad confirmationem miſſionis ſuæ divinæ duntaxat, ſpectantibus quā plurimis, Lunæ plenum orbem in duas ſuo ipſius imperio diviſum partes diſtractumquè montes ad oppoſitos, ſuâ in manicâ rurſus adunatum eſſe, a ſequè poſtea cœlo reſtitutum. Sed a fabulis abeamus, ut & quod unum jam mihi reſtat DE CONTINVA SOLIS OPERATIONE, ſeu de nunquam in illâ deficienti Sole dicamus aliquid,

quam

quam cùm Solis ejusdem annexam lumini, in ASTRORVM PRINCIPE radio probaverimus, hícquè Solem nunquam in lumine deficientem ostenderimus, propterea nec in operando deficientem manifestè satis quilibet inferre potest: Nam & lumen ad operationem continuò fundit, atque ut ubique possit operari, circa Terram perpetuò volvitur, e quibus duobus, si desideretur alterum in Sole, non diutiùs stare posse mundum hunc inferiorem, quod satis omnes intelligunt, omnino necessarium est: Cùm oratione tertiâ περὶ βασιλείας Dion habeat, εἰ κ' ἂν σμίκρον ἀμελήσειε, καὶ παροβαίη τῆς αὐτοῦ τάξεως, οὐδὲν κολύει πάντα μὲν ἀνθρώπων, πᾶσαν δὲ γῆν, πᾶσαν δὲ θάλατταν οἴχεσθαι.

QUÆ cum ita sint, NVNQVAM DEFICIENTEM SOLEM BRITANNICVM, NEQVE IN LVMINE, NEQVE IN MOTV,

MOTV, NEQVE IN OPERATIONE pariter oſtendamus. De SAPIENTIÆ verò VIRTVTISQVE LVMINE jam ſuprà dictum eſt, quæ cùm in eodem, novo ſemper addito ſplendore, fulgeant, nequaquam in iſtis illum deficere, ſed augeri potiùs, exiſtimandum eſt. Nam ſi de ſuprà dictâ Regis ſapientiâ ſermonem iterum inſtituere velimus, certè tam eſt illi continuò præſens, quemadmodum Angliæ Sapientes palam ediſſerunt, ut quod de Origene, Epiphanio referente, prædicarunt aliqui, herbam memoriæ juvandę gratiâ medicatam reperiſſe videatur: Aut quòd numinis ſupremi decreto quondā Moyſis annulum, cujus eam fuiſſe vim tradit Abulenſis, ut firmam rerum omnium, quas in animo conſervatas cuperet Moyſes idem, memoriam conſervaret, hæreditario jure poſſidere credatur: Aut denique Mithridatem duarum & viginti gentium Regem, quibus totidem

linguis, ſine ullo interprete, jura dixiſſe perhibetur, adæquare memoriâ quodammodò concedatur. Si verò virtus ejuſdem revocetur eodem, dicam quod a plurimis laudatiſſimiſquè viris, in quos nec adulationis ſuſpicio cadere poteſt, accepi: Ad ipſius virtutē, novam continuò fieri virtutis acceſſionem. Et quandoquidem vices omnium fortitudo gerit ex Ariſtotele Ethicorum Eudemiorum tertio, ἡ ἀνδρεία μία τῶν ἀρετῶν, quæ cùm ex Senecâ de Beneficiis altero, nihil ſit aliud prętęr *Scientiam periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum*, quis non habens Angliam ſtatim videat ſui Regis totam in fortitudine vitam continuò poſitam eſſe? At mei me nominis, Meſſalæ Corvini Oratoris ad inſtar, pene capit oblivio, qui peregrinus *Noctuas* deferre videar *Athenas*. Quapropter iſtis omnibus jure merito prętermiſſis, noſtrum nec in MOTV, nec in ACTIONE deficere Solem

Solem, aperiamus. Quòd ſi de motu corporis Lector intelligas, hìc ut ingenuè dicam, ad ſententiam Copernici pedibus ire cogar, ſi tamen opinionis illius debetur huic honor, & non potiùs Pythagoreis qui habuerunt Italiam, de quibus ait Ariſtoteles ſecundo de Cœlo, quòd ipſi Terram quoddam velut Aſtrum circulationis Motu circa medium ferri docuerint. Sed quandoquidem de motu Animi, quem lucis, hoc eſt ſapientiæ virtutiſquè vehiculum ſuprà demonſtravimus, hìc eſt Sermo, quo SOL BRITANNICVS ab unâ Dei cognitione, ad novam alteram continuò progreditur, a virtutum actibus, ad novos eorumdem actus ſemper accelerat; Eapropter ad rem ſuperioribus addenda nonnulla viderentur, niſi vererer *Alcinoo Poma ferre, Soli lumen inferre*. Quapropter, dicite utrùm veritati parcam, Angliæ regnorumquè cæterorum Nobilitatis, ſcientiarumquè

ſplendida lumina, exemplariaquè virtutum, qui Solem hunc veſtrum debito proſequentes honore, ad fortitudinis illius divinæquè ſapientiæ radios in vobis exprimendos circumſtare ſoletis, vos enim omnes teſtes adhibeo. Dicite inquam num a veritate mea tantillùm recedat Oratio. Dicite num ille vobis eclipſin in ſe pati, vel ad tempus exiguum, viſus aliquando fuerit. Licet enim ingentium negotiorum denſiſſimæ veluti nubes illum circumſtare ſæpe viſæ ſint, æqualem nihilominus in illo ſemper eſtis intuiti, admirati, reveriti ſplendorem. In quo certè cum Rege Francorum Clotario convenire non immeritò videtur, qui in Regiæ majeſtatis inſigne, molarem, ſed aptatam Molendino, adquè decurrentes ſub eâdem continuò fluminis ingentis aquas cum epigrammate MENS IMMOTA MANET, converſam rotam habuerit. Quo Monarcha ſapientiſſimus oſtende-

ostenderet, licet assidui negotiorum fluctus Regem huc illuc semper convertant, mentem nihilominus ipsius immotam, semperquè sibi præsentem, a nullis unquam abripi negotiis oportere. In quo præterea Sole superiorem Regem, prædicare possum, quia licet ille, perpetuum lucis ob splendorem, maximè visibilis existat, maximè tamen sit ob eundem invisibilis, ita ut ad illum attentiùs aliquandiu considerandum, aut Aquilarum necessarii sint oculi, aut, eo quo suprà dictum est modo, patiatur eclipsin. *Sol* enim, ut inquit Seneca, *nisi cum deficit, spectatorem non habet*. Neque tamen tunc temporis fixiùs illum aspici tutum esse monet Galenus, ait enim per Solis eclipsim, dum explicatis illam intuerentur oculis, multos visu propterea destitutos esse. Quod ne nobis accidat incommodi cæterisquè omnibus, qui SOLEM BRITANNICVM illæsis intuiti sunt adhuc lu-

minibus, nullo modo timendum esse, cùm vicinus iste radius innuat, ad hunc elaudendi nullo modo videntur oculi.

Hic enim DEPRESSIOR MAIOR Sol uterque manifestis adeò rationibus ostenditur, ut manifestius in orbe nihil haberi posse facile mihi persuadeam: Nam, ut de supero Sole priùs, in duobus major hic videri solet. Quemadmodum enim in se nunquam deficit, sic in se nunquam major, minor nunquam, sed sibi semper æqualis existit. Primùm igitur in Excentrici sui Perigæo, ubi reverà depressior est, majorem nobis apparere Solem ita colligo.

ligo. Certum eſt, idquè quotidianâ conſtat experientiâ, corpus idem quo longiùs a videntis oculo in æquali pellucido removetur, eo minus, quo verò vicinius, eo majus ſemper apparere, cujus inæqualitatis aſpectus ſi manifeſta ratio quæratur, hinc petendam firmiter ego teneo: *Quòd ea nimirum quæ ſub angulo majori cernuntur in oculo, majora ſemper appareant; quæ ſub minore, minora; quæ ſub æquali, prorſus æqualia videantur.* Viſionem enim corpoream omnem fieri per Pyramidem, iis, qui vel extremis quod aiunt labris deguſtarunt Opticam, notiſſimum eſt. Cujus cùm vertex centrum ſit viſus, baſis verò res ipſa quæ videnda proponitur, neceſſarium eſt ut ex anguli verticalis amplitudine luminibus objectarum rerum magnitudines agnoſcantur. Ita ut majores illæ videantur, quarum ad verticem ſint anguli majores; minores verò, quarum ad verticem anguli minores exiſtant.

minibus, nullo modo timendum esse, cùm vicinus iste radius innuat, ad hunc claudendi nullo modo videntur oculi.

Hic enim DEPRESSIOR MAIOR Sol uterque manifestis adeò rationibus ostenditur, ut manifestius in orbe nihil haberi posse facile mihi persuadeam: Nam, ut de supero Sole priùs, in duobus major hic videri solet: Quemadmodum enim in se nunquam deficit, sic in se nunquam major, minor nunquam, sed sibi semper æqualis existit. Primùm igitur in Excentrici sui Perigæo, ubi reverà depressior est, majorem nobis apparere Solem ita col-

ligo.

ligo. Certum eſt, idquè quotidianâ conſtat experientiâ, corpus idem quo longiùs a videntis oculo in æquali pellucido removetur, eo minus, quo verò vicinius, eo majus ſemper apparere, cujus inæqualitatis aſpectus ſi manifeſta ratio quæratur, hinc petendam firmiter ego teneo: *Quòd ea nimirum quæ ſub angulo majori cernuntur in oculo, majora ſemper appareant; quæ ſub minore, minora; quæ ſub æquali, prorſus æqualia videantur.* Viſionem enim corpoream omnem fieri per Pyramidem, iis, qui vel extremis quod aiunt labris deguſtarunt Opticam, notiſſimum eſt. Cujus cùm vertex centrum ſit viſus, baſis verò res ipſa quæ videnda proponitur, neceſſarium eſt ut ex anguli verticalis amplitudine luminibus objectarum rerum magnitudines agnoſcantur. Ita ut majores illæ videantur, quarum ad verticem ſint anguli majores; minores verò, quarum ad verticem anguli minores exiſtant.

exiſtant. Quare ſi eo uſque tandem ſparia minuantur angulorum, ut ſub ſenſum cadere nequeant, & res ipſas, quæ ceu baſes his ſubtenduntur angulis, nullo modo videri poſſe tenendum eſt. *Hinc fit ut intervalla parallela eminus ſpectata, propter rationem eandem, inæqualis latitudinis appareant. Hinc fit, ut æqualis ubique latitudinis, arboribus hinc inde ad funiculum normamque ambulacra conſita, magnæ porticus, ingentes aulæ, in ſuisipſarum a videntis oculo remotis partibus ita ſemper ad ſe propiùs, donec in unum tandem confluant, accedere videantur. Hinc fit, ut a longè ſpectatus eques, turris, urbs, veluti muſca priùs, deinde per acceſſum continuum major majorquè ſemper appareat.* Cùm igitur ſuo in Perigæo Sol, ut ex Aſtronomiâ conſtat, ad nos quàm in Auge propiùs accedat, majorem illum apparere neceſſarium eſt, ſiquidem ab extremis ipſius ad oculum producti radii, per majorem linearum diſtractionem

nem

nem in centro visus angulum magis amplificare sentiuntur. Quibus ita probatis, ad alterum in quo majorem videri Solem, depressiorem dumtaxat, ostensurum suprà me recepi, quantocyùs accelero. Licet enim, ut interpositâ nullâ cunctatione jam ad istud aggrediar, cœlum sit undique sursum, respectu nostri tamen, Solem in horizonte quàm in meridiano depressiorem esse, nemini non est explicatum: Dicimus enim attolli, surgere, ascendere, deprimi, descendere, cadere, occumbere Solem, cæteraquè id genus vocabula, quæ iisdem in circulis Astra sublimiora depressioraquè significent, usurpare solemus. Quòd autem in horizonte, ubi depressior esse dicitur, tum oriens, tum occidens major quàm in cœli medio Sol appareat, judicare possunt, qui matutino vespertinoquè tempore Solem eundem aspexerunt. Cujus rei si rationem curiosiùs indagare velimus, nul-

lam profectò reperiemus aliam, præter aquarum expirationes, terreoſquè ſpiritus inter Solem oculumquè videntis interpoſitos, qui cùm diaphanum medium denſius efficiant, per Solis radiorum in illo refractionem majorem in centro viſus aperiunt angulum. Unde fit ex ſuprà dictis, ut in horizonte quàm in cœli medio, in hyberno quàm in æſtivo Solſtitio, Sol ſæpe major neceſſariò videri debeat. *Atque ut iſtud innoteſcat exemplis, conjice ſi tibi placuerit in vaſis aquæ limpidæ, vel fontis in puri fundum, nummum aliquem; videbis enim eundem illic, propter ſimilem radiorum refractionem longè majorem, quàm antea videretur, apparere. Quid? Nonne ſimiliter in ſenibus, quibus ob oculorum ſiccitatem debilitatur viſus, per vitrum lenticulare denſius in medio videlicet, ut per illud refractio majorem in oculo faciat angulum, majoraquè idcirco repreſentet illis objecta, roboratur aſpectus? Sed ſi per grande mi-*

*raculum*

*raculum ad Equi magnitudinem, vel ad majorem accedere quantumvis exiguam pulicem tuipſe velis intueri, ne Luciani fabulas tibi commendare videar, qui libro primo veræ hiſtoriæ, quæ duodecim Elephantos adæquent magnitudine ad ſeptentrionem narrat eſſe Pulices. Tuipſe inquam in ampullâ vitreâ criſtallinâve, pauloquè craſſiore poſteaquam pulicem incluſeris, rationis iſtius ignaris oſtende, quodquè de te poſtea ferant judicium expoſce, mirum eſt enim ſi te non eos inter, qui magiam profitentur, Principem annumerent.* Quamobrem non tibi dubia videri debet ampliùs, Amice Lector, poſitio mea, nam in rerum naturâ, quemadmodum ſuprà dilucidè ſatis ego probavi, clarius exiſtere nihil poteſt. Unde volebat Poſidonius, quòd ſi fieri poſſet, ut per intermedios parietes, aliave ſolida corpora, ut de Lynceo fabulę produnt, Sol conſpiceretur a nobis, multo ſine ullâ dubitatione major appareret. Ex quibus omnibus,

cur SOL aliquando MAIOR, DEPRESSIOR videlicet, appareat, nemini non exploratum est.

POrrò in Sole Britannico non idem, verùm longè nobilius accidit aliquid, semper enim REX ille MAIOR, quia DEPRESSIOR suis dumtaxat propinquior, minor verò nunquam apparet. Et certè maximi Regis, sive potiùs Regis absolutè sine addito maximè proprium esse, tempore pacis, cùm ab hostibus metus nullus imminet, minimam habere satellitum, conductitiorumque militum suo in comitatu, domoquè regiâ manum ita probare mihi propositum est, ut eâ de re nullam dubitationis ansam cuiquam a me relictum iri facile mihi persuadeam. Atque ut ex meo sensu, in re tanti momenti

menti ; non deprompta videatur hęc oratio ; quis nomine Regis sit appellandus considerandum est. Quâ in re divino supremi Numinis afflati spiritu quamplurima sapientissimè strictâ prodiderunt oratione Poëtę, ita ut non aberrarit in omnibus ille, qui dixerit,

*Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,*
*Sedibus Ætherijs spiritus ille venit.*

Quænam enim de Rege vero divinior possit haberi notitia, quàm ea quę Senecę versibus exhibetur in Thyeste.

*Regem non faciunt opes,*
*Non vestis Tyriæ color,*
*Non frontis nota Regiæ,*
*Non auro nitidę trabes.*
*Rex est qui posuit metus,*
*Et diri mala pectoris, &c.*
*Quem non ambitio impotens,*
*Et nunquam stabilis favor*
*Vulgi præcipitis movet, &c.*
*Mens bona regnum possidet,*

*Nil aliis opus est equis,*
*Nil armis, & inertibus*
*Telis, quæ procul ingerit*
*Parthus, cùm simulat fugas, &c.*
*Rex est qui metuit nihil,*
*Rex est quique cupit nihil.*

Et ut videamus quantâ cum ratione divinus hic Poëta loquatur. An putabimus REGEM hominum illum esse dicendum, qui ab iis quos regit, continuò sibi metuat, in illos semper exercitus habeat, inter illos nisi stipatus armatorum legionibus undique, versari non audeat, cum illorum nemine verba facere præsumat, ni priùs a stipatoribus num sicam aliquam habeat, lustratis corporis illius vestiumquè partibus omnibus diligenter perquisitum fuerit. An REX inquam dicendus est, qui ab iis, quos regat, sibi mortis periculum impendere semper arbitretur? Anne Reges istiusmodi cum mediastinorum de grege vilissimo postponendos

dos exiſtimandum eſt. *Dionyſius familiari quondam ſuo*, ut cum Macrobio in Somno Scipionis loquar, *Solam beatam exiſtimanti vitam Tyranni, volens quàm perpetuo metu miſera, quamquè impendentium ſemper periculorum plena eſſet oſtendere, gladium vaginâ raptum, & a capulo de filo tenui pendentem, mucrone demiſſo, juſſit familiaris illius capiti inter epulas imminere. Cumquè ille & Siculas, & Tyrannicas copias præſentis mortis periculo aſpernaretur, talis eſt, inquit Dionyſius, vita quam beatam putabas, ſic nobis ſemper mortem imminentem videmus.* Unde nullo modo mirandum mihi venit, ſi dicat apud Ælianum Græciæ liberator Themiſtocles, malle ſe in ſepulchrum deſcendere, quàm ad Regium aſcendere tribunal. Nam apud Xenophontem περὶ βασιλείας veriſſimè dicit Rex Hiero λέγω σοι ὅτι οἱ τύραννοι τῶν μεγίστων ἀγαθῶν ἐλάχιστα μετέχουσι, τῶν δὲ μεγίστων κακῶν πλεῖστα κέκτηνται: ſapienter igitur cecinit Poëta,

Rex

*Rex est qui posuit metus.*

Præterea, an a suis liberis intantum sibi semper timere solent veri parentes, ut in illos comparatos semper habeant exercitus? An ignoras subditorum suorum patres esse reges? Ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ, Chrysantas inquit in Cyropædiâ. An ignoras REGEM verè PASTOREM esse POPVLORVM ex Homero? Ποιμένα λαῶν. Quid igitur Regi? Quid Patri? Quid Pastori? suos in Subditos, suos in Liberos, suas in Oves, DE HOSTIBVS LVPISQVE, LIBERORVM, OVIVMQVE VESTIBVS INDVTIS NON LOQVOR, necessarii sunt *Ægyptiorum Bellatores, Persarum Immortales, Scritæ Lacedæmoniorum, Sacra Thebanorum Legio, Macedonum Argyraspides, Romanorum Triarii, Sacra Phœnicum Cohors, Decima Legio Cæsaris, Fulminatrix Aurelii, Gallorum Siloduni?* Quì precor suos in Subditos, Liberos, Oves, istiusmodi continuò vallatum

exercitu

exercitu Regem Patrem, Paſtorem appellare deceat? Qui Subditorum facultates ad ſuam cuſtodiam ſingulis diebus abripiat, qui Liberorum hæreditates eam ob rem in alienos transferat, qui Ovium ſuarum paſcua non modò tribuat iiſdem, ſed enectas pene fame miſeras tondeat, excoriet, abſorbeat Oves. An inquam ejuſmodi, Regem, Patrem, Paſtorem quiſquam appellet? Qui ex Ariſtotele πολιτικῶν libro quinto videtur Βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν ἔχοντες τὰς οὐσίας μηδὲν ἄδικον πάσχωσιν ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζηται. Qui ex Tullio in Officiis *Servandæ Juſtitiæ Cauſâ* videtur eſſe conſtitutus, qui a Græcis βασιλεὺς quaſi βάσις τῆ λεῶ nuncupetur. Ut nihil repetam ex altiùs dictis, Regem ab iiſdem ἄναξτα, quaſi Subditorum Medicum appellari. Ex quibus omnibus MAIOREM TE REGEM CAROLE, qui frequenter in tuorum Subditorum medio, contra Regum aliorum, qui cæteris majores haberi

beri volunt, consuetudinem, fere Solus obambules, pauciſquè comitatus incedas. *Quæ Securitatis tuæ, Animi Regii, Patriè, Paſtoris, Subditorum tuorum facultatum verè Cuſtodis, Juſtitiam conſervantis, Populi Baſis, tuorum Medici, Regiſque Magni, Majoriſquè pariter* certiſſima profectò ſunt indicia. Siquidem ex Græcorum ſapientiſſimo, pauciſſimis indigere, Monarchæ præſertim, Deo proximum eſſe videatur, ἐγὼ νομίζω τὸ μὴ μιμεῖσθαι δέεσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δὲ ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τῦ θεῖς.

## Altior Beneficentior.

QUam Regis Altitudinem, cùm illam hic ultrò radius indicet, pro noſtrâ conſuetudine ſupero cum Sole

le conferemus. Atque ut ab hôc, de more ſumamus initium, ita verum eſt altiorem magis illum eſſe beneficum, ut vel ipſi Pagani, qui præter agriculturam, curamquè pecoris aliud nihil callent, iſtud tamen evidenter adeò ſciant, ut ſemetipſos aliquid eſſe non evidentiùs agnoſcant. Vident enim omnes in ſignis Borealibus, ubi noſtro in orbe ſuam Sol habet altitudinem, innumeras, omniſquè generis opes, non unâ ſed ut cum Homero loquar, quem eapropter ἑκατόνχερα Iliados α vocat, centum veluti mani- indeſinenter effundere Solem. Vident ubiprimum per Arietem aſcendit, variis herbis, floribus, fructibus ad animalium omnium vitam ſic terram exornari, ut quo cuique loco ſemper altior evadat, ditiorem ſemper eundem efficiat. Vnde fit ut in illâ Sphæræ poſitione, in quâ Sol bis ſingulis annis altior eſt, geminas det meſſes, geminas lar-

giatur vindemias, per geminas diverſaſquè vices fructibus arbores oneret, geminataquè cætera præbeat, quæ, ubi ſemel in anno Sol altus eſt, ſemel ibi tantum producit. Quæ porrò ſic patent omnibus univerſâ, qui vel rudem Armillaris Sphæræ terreſtriſquè Globi cognitionem habent, ut eam ob rem maximâ rapiantur admiratione. Quòd autem SOL ALTIOR ſit BENEFICENTIOR, hâc ratione probari validè poteſt. Nam quo magis ad rectos angulos radii Solis accedunt, eo majorem illos habere vim notiſſimũ eſt: ex quo nec orientẽ, nec occidentẽ, nec propter radiorum obliquitatem tantas habere vires Solem hybernum omnium ſeculorum perpetuâ conſtat experientiâ. At obloquentem aliquem audio, qui primi georgicôn iſtud, de illâ quæ ſub æquatore zonâ ſubjicitur objiciat,

*Semper Sole rubens & torrida ſemper igni.*

Peligniquè vatis Metamorphoſeôn primo

primo teſtimonium, Achillis ad inſtar, eandem ad rem fortiter opponat,

*Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu.*

Cujus objectioni, Joanniſquè de Sacro Boſco in ſphæram authoritati, quam noſter ſiluit hìc adverſarius, ubi ſpatium illud Terrę duos inter Tropicos, Cancri, Capricorniquè dumtaxat interceptum, Zonam torridam ideò contendit appellari, quòd propter nimium Solis ardorem habitari nullo modo queat. Vt huic autem objectioni faciam ſatis, quâ Cupit inferre Solem altiorem non beneficentiorem, at potiùs, ut ita loquar, maleficentiorem appellandum eſſe. Reſpondeo, Geographorum id omnium authoritati adverſari maximè, qui hâc in zonâ, quâ priores dixêre torridam, multas deſcribant regiones: Neque dicas cum Ariſtotele, Averroe, Peripateticis, illam idcirco inhabitabilem appellari, non quòd eandem habere nequeant homi-

nes, ſed quòd illorum proſperæ valetudini conveniens, propter ſolis ardorem, non ita ſit hæc habitatio : Nam Avicenna, Mediciquè moderni, quibus de hominum ſanitate fides habenda eſt aliqua, maximè temperatam zonam hanc, amœniſsimamquè regionem arbitrantur, ut nullam hìc ego mentionem faciam Ferdinandi Hiſpaniarum Regis nautarum, anni milleſini quadringenteſimi nonageſimi primi, qui appellẽtes illuc, homines firmæ valetudinis longioriſquè vitæ ſub Æquinoctiali degentes invenêre : Vbi & hodiernâ die Luſitanorum quamplurimi commodâ utentes valetudine, ſuas non modò poſuêre ſedes, ſed etiam effecerunt, ut quæ ex illâ regione nobis antea fuerant incognita, jam æquè, ac quæ noſtris ſubjiciuntur hìc oculis aperta ſint. Quapropter maneat immobile quod a me poſitum eſt, SOLEM nimirum ALTIOREM veriſſimò

ſimè BENEFICENTIOREM & eſſe & appellari.

Reſtat igitur ut & idem hìc in SOLE BRITANNICO validioribus longè rationibus, quæquè non ut priores a quoquam vocentur in controverſiam, demonſtrare ſine lectoris ullâ nauſeâ tandem aliquando mihi concedatur : Atque ne longiori ſermone fallere tempus, vel ad juſtam magnitudinem adaugere Librum ineptâ garrulitate velle videar : Altitudinis Solis Britannici initium, progreſſum, apicem intuere quiſquis es, Lector amantiſsime : Interroga pauperes, viduas, pupillos, naufragos, uſos adverſâ fortunâ, conditionis omnis in Angliâ peregrinos, cæteroſquè id genus homines, ut uno verbo complectar, omnes ipſi-

us

us ſubditos? Vix credè mihi, e tot millionibus reperias unum, qui non ardentiſsimos Liberalitatis, Charitatis, Beneficentiæquè Solis Britannici radios non ſemel ſenſerit, ſed ſingulis diebus etiamnum experiatur. Ita ut ſi Rex poſſideret quidquid aureæ vehit arenæ *Tagus in Hiſpaniâ*, *Padus in Italiâ*, *Hebrus in Thraciâ*, *in Lydiâ Pactolus*, *Ganges in Indiâ*, & quidquid reperitur in Terræ viſceribus auri, nullos alios, Cyri alterius ad inſtar, Solis ob beneficentiam appellati, Theſauros præter ſuos ſubditos haberet, a quibus, cùm indigeret, mutuum quidpiam, ut facit, erogaret. Quâ in re, longè mihi Sole præſtantior eſſe videtur, quòd ille Theſauros in inferioribus terræ partibus ſic abſcondat, ut illorum pleriſque priventur homines; Nonnullos verò ſolùm, at cùm ærumnis laboribuſquè propemodum infinitis inveniant. Et certè in ſuos ita

ſe

ſe gerere Magni Regis eſſe proprium, maximus Imperator Veſpaſianus author eſt, qui cùm ad imperium evectus luſtraret Ægyptum, pro concione dixiſſe fertur Ægyptiis, ut refert in Apollonii vitâ Philoſtratus, ἀρύεται ὡς ὁ Νεῖλος. Quibus verbis oſtendit Optimus Imperator, eum oportere, qui regat populos, ad Nili ſimilitudinem accedere, ut ſuâ beneficentiâ publicam in utilitatem ſeſe ſemper effundat. Quod in tuos ſic præſtas, Regum liberaliſſime, ut Auream Ætatem in Albionem traduxiſſe videaris, in quam tàntam induxiſti fœlicitatem, ut cum Pherecrate ęquè meritò dicere poſſim, *Quòd flumina juris hìc in Angliâ fluant, calidiquè panes currant, turdiquè bene conditi, mirequè cocti ora circum volitent ediquè rogent.* Ita ut Angliam ἡλίου τράπεζαν eâ veriùs appellare poſſim, quam Macrobios ad Æthiopas in ingenti Planitie ſtratam Herodotus aſſerit, cùm ait a magiſtratu to-

ſtas quadrupedum omnium illuc per noctem deferri ſolitum eſſe carnes, ad quę convivia, ubi diluxiſſet cùm accedere cuilibet eſſet integrum, hanc epularum copiam a Sole divinitus eſſe conceſſam exiſtimarunt indigenę, unde ἡλίου τεμίζας appellarunt. Cùm enim Albionis, quantacunque eſt, a te proficiſcatur abundantia, atque in illâ generis omnis extraneos non modò velut in Aſylo protegas, ſed etiam foveas atque ſuſtentes; Num tuam Solis Britannici hanc eſſe menſam, a quâ propter ſingularem tuam ipſius in omnes liberalitatem, nemo prorſus arcetur, exiſtimandum eſt: Quâ non tam ut præſis, quam ut proſis, hoc in alto Regiæ dignitatis faſtigio velut Solem alterum conſtitutum eſſe te, demonſtrare non ceſſas.

Atque


Verus Hercules

SEd ut hic ego cessem, atque a prioribus penitus abstineam, ad majora, quem Lector intueris, VERVS me vocat HERCVLES, ita verus Hercules, nam fabulosus ille monstrorum domitor, per Eburneam Mantuani vatis portam cum exitu sortitus est exitium. Igitur in Hercule Solem indicari pluribus ostendit Macrobius, cùm Ἡρακλῆς, quemadmodum nominis ipsius ostendit explicatio, nihil sit aliud quam Ἥρας Junonis, *hoc est* Aëris, & κλέος gloria. Aërem autem, ut missos faciam *Varronem, Macrobium ipsum, Martianum Capellam, Placiadem, Theopompum, Hellanicum, Phurnutum, Gyraldum, Verederium,*

*rium, alios innumeros*, ſecundo de naturâ Deorum, his verbis in Junone Tullius aſſignat, *Aër*, inquit, *ut Stoïci diſputant, inter mare & cœlum Junonis nomine conſecratur, quæ eſt Soror, & Conjux Jovis, quòd & ſimilitudo eſt Ætheris, & cum eo ſumma conjunctio: effœminarunt autem eum, Junoniquè tribuerunt, quòd nihil eſt eo mollius.* Hæc de Junone ſive Aëre Tullius, ut nihil dicam ex Platone in Cratylo vocabulum ἥρα pro ἀὴρ, primâ vocali poſtpoſitâ, a nonnullis uſurpatum eſſe. Cùm igitur Ἡρακλῆς ſit Aëris gloria, quænam Aëris præter Solis illuminationem alia illa eſſe poteſt? Præterea nonne ſacrorum apud Ægyptios adminiſtratores, actu multiplici, multiplicem Solis aſſerunt eſſe poteſtatem, ſignificantes Herculem hunc eſſe τὸν ὑπὸ πάντων, καὶ διὰ παντὸς ἥλιον. Unde non mirum eſt, ſi monſtrorum domitor ab antiquis appelletur Hercules, quòd Sol terreos aqueoſquè ſpiritus, qui variorum in nubibus

nubibus monſtrorum formam arripiant, nam ex Ariſtophane ἐν νεφέλαις, in omnes rerum omnium formas ſponte ſua tranſmutari Nubes apertum eſt omnibus, qui vel de minimâ cœlum noverunt experientiâ; νεφέλαι γίγνονται πάνθ' ὅτι ἂν βούλονται, Sol inquam monſtrorum domitor appelletur, quòd aëria monſtra radiorum ſuorum calore conficere diſſipareque videatur. Atque, ut illius rei fides fiat etiam exemplis aliqua, unde putas, amice Lector, de Hydrâ, fabulæ datum eſſe locum? Nonne Phyſicorum moris fuiſſe tenes, ſuas de rerum naturâ commentitiis id genus innumeris ſic involvere ſententias, quemadmodum Stromatum quinto per variorum Philoſophorum inductionē Clemens Alexandrinus oſtendit, ut non omnibus, neque præſertim hebetiori præditis ingenio facilè manifeſtari poſſent. Atque ut ad Hydram redeamus, quam ad Lernam paludem occidiſſe

perhibetur Hercules, nonne propter multam a Lernâ palude, ad diversa pertinentem loca, vaporum corruptionem, a quibus pestilenti quodam afflatu suffocabantur homines, quique Solis facibus, seu radiorum calore fiunt absumpti, locum datum esse fabulæ tradunt fabularum earumdem interpretes? Quid? Nonne de hoc immani Dracone Pythonis nomine dicendum idem est? quem

*Mille gravè telis, exhaustâ pene pharetrâ,*
*Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.*

Nunquid enim Python Græcis putredinem designat? Quam cùm post Diluvium in aquarum, humidæque Telluris expiratione calefactâ, per spiras & flexus sinuosósque veluti serpentis orbes circa Terram adreperet, quam inquam Sol, ubi crassioris Aëris immistis aquæ terræque fæcibus, radiorum suorum lumine corruptionem exsiccavit, Pythonem occidisse Draconem memo-

riæ

riæ prodium eſt. Prætermitto ab Hercule, Sole videlicet, infinita propemodum monſtrorum novorum, novaquè ſingulis diebus alicubi deleri genera, *Centauros, Hydras, Leones, Chimæras, cæteraquè id genus innumera*, quæ cum Gigantibus illis, Terræ nimirum filiis, in Solem aſſurgant, debacchentur, tonent, ingenti cum fragore concutiant orbem, ut Solem ipſum ex hâc rerum univerſitate tollere pro viribus enitantur. Sed SOL VERVS HERCVLES ex illis omnibus ſic victor evadit, ut ad ipſius triumphum poſt certamen, reſidui, præter apertum ipſius pugnæ campum, ſæpe nihil appareat.

ID autem, ut ingenuè fatear, in SOLE BRITANNICO, nec ſimile quidpiam exiſtit, at majus in eodem aliquid reperiri

repetiri contendo: In quo tum Solem, tum Herculem longiſſimo fortitudinis intervallo præcedere videatur. Neque verò ſic illum Herculem eſſe Lector exiſtimes oportet, quo modo vocari ſe cupiebat crudeliſſimus omnium Imperator Commodus, qui, ut Suidas author eſt, Leonis indutus pelle, armatuſque Clavâ, ut Herculem ludens ageret, miſerandum in modum homines mactare ſolebat. Aliâ inquam ratione Solem Britannicum Hercule ſuperiorem eſſe tenendum eſt Nam quod non potuit Hercules, hic monſtrorum ſuorum internorum priùs, quàm externorum domitor, quod in regno difficillimum eſſe, e ſeptuaginta duobus interpretibus unus Demetrio Philadelpho ſapienter apud Ariſteam enunciat, exiſtimandus eſt. Enimvero quis diverſos animi morbos diverſis comparari monſtris ignoret? *Iram Leoni, Vulpi fraudem, invidiam Urſo, Tigridi vindictam,*

*Eam*, cæteroſque inordinatos affectus animi ſic homines, Regeſque præſertim abripere, ut non homines amplius, ſed brutę credantur animantes. *Quem transformatum vitiis vides*, inquit Boëtius, *hominem æſtimare non potes, ſed fuiſſe hominem adhuc ipſa humana corporis relicta ſpecies oſtentat, homo enim probitate deſertâ vertitur in belluam*,

*Quiſquis enim vivit, ſine lumine mentis, & uſu,*
*Fert hominis vultus, ingeniumque feræ,*

inquit Mantuanus. Quamobrem cùm SOL BRITANNICVS ita pravorum ſuorum affectuum, quos paſſiones vocant, monſtra domuerit, ut in illo quemadmodum fatentur omnes, quibuſcum de Rege verba feci, nulla prorſus appareant. Num jure merito longè fortior Hercule prædicandus eſt? Qui externa domuiſſe monſtra feratur, ſua verò domeſtica debellare nunquam potuerit; Cùm ex Apollodoro ſic vorax extitiſſe credatur, ut bovem integrum

in uno prandio ſæpe ſolus abſumpſerit: Sic iracundus, ut ex Verederio aſpectu ſolo inflammatus irâ, Baſiliſci ad inſtar, timore correptum necuerit hominem: Sic Mollis, ut tanquam alteri Midæ ex Athenæo, illius lateri colum adaptans percuſſum in facie calceo, penſa trahere meretrix puella juberet. Quod ſi dicas ab Hercule labanti cœlo ſuppoſitos humeros, ut de ſe moriens apud Ovidium teſtatur ipſemet,

*Hâc cœlum cervice tuli:*

Num Anglicanum præſertim orbem noſter Hercules, non fabuloſè, nec ſemel, ſed verè continuoquè per ſuam gubernationem ſuſtentare videtur? Ad extremum in hoſtes benignum, clementem, manſuetum, miſericordem Herculem extitiſſe fortè prædicabit aliquis, quòd ex Oleaſtro confectâ clavâ, ſi Pauſaniæ in Corinthiacâ fidem habere velimus, in illis mactandis uteretur. Sed quam major clementia, majorve

ſævities

ſævities exiſtat, mactare ferreâ, oleagi-nâ, quercinâve clavâ, ut ego verùm fatear, ni clementiorem illius quæ citiùs mactet uſum exiſtimes, penitus ignoro. Verùm hôc lanio carnificequè relicto, ad VERVM regrediamur HERCVLEM, verè manſuetum, verè benignum, verè humanum, verè miſericordem, cùm ſuos hoſtes non clam modò, ſed ſic tueatur apertè, ut eapropter apud illos malè audiat, qui belluinam ſolummodò novêre fortitudinem. Neſcis profectò, quiſquis vel in tenebris audes obloqui: Neſcis, fortitudinis, Regiæque Majeſtatis eſſe proprium, ut non ſit illa μιμητικὴ, ſed ἐνεργητικὴ, ſiquidem *Hoſti nocere cum poſſis, & non nocere, Regium; Beneficiis autem eundem afficere, divinum* prorſus habeatur. Denique ut uno verbo complectar, debellatis monſtris, exutâquè mortalitate tandem aliquando beatitudinis ſupernæ factum eſſe participem Herculem

ſic ſuâ in metamorphoſeôn Apotheoſi prædicat Ovidius.

*Vtque novus ſerpens poſitâ cum pelle ſenectâ*
*Luxuriare ſolet, ſquammâque nitere recentî;*
*Sic ubi mortales Tirynthius exuit artus,*
*Parte ſui meliore viget, majorquè videri*
*Cœpit, & Auguſtâ fieri gravitate verendus,*
*Quem pater omnipotens inter cava nubila raptum*
*Quadrijugo curru radiantibus intulit Aſtris.*




AD quæ Peligni vatis carmina, cùm ultimus iſte Solis noſtri radius, atque ad rem ſe nobis aperiat, non de fabulis, ſed de rei veritate quærendum hic exiſtimavi. Neque ſimiliter neceſſarium ego duco, illorum, qui in orbis miraculum præferente radio divinos Soli decreverunt honores, pluribus

expoſcere ſuffragia. Quod ſi hanc ad explicandam dubitationem antiquos Eccleſiæ Primitivæ Patres in conſilium eapropter adhibeam, hæc non ſine diſputatione poterit abſolvi quæſtio. Certum enim eſt illorum plurimos ex Platonicorum opinionibus accepiſſe plurima, quod ab Ethnicis objectū Chriſti ſectatoribus Annalium Eccleſiaſticorum meminêre ſcriptores; hincquè factum iſtud arbitror, quòd tunc temporis Philoſophica Platonicorum inſtitutio ſupremum eruditionis apud omnes obtinere videretur apicem. Quam Platonis cùm audiſſent Philoſophiam, huicquè propter ſingularem ejus eruditionem in multis adhærerent, qui præterea cùm multas propter opiniones a Chriſtianâ religione non multum abhorrentes, a Paganis, Numenio gentili teſte apud Euſebium, Moſes Atticus haberetur: Non mirum eſt inquam, ſi ex eâ quę tunc temporis erat in uſu

Philoſophiâ, cujus principiis eſſent imbuti, quâquè ad faciliùs veræ fidei lumine deſtitutis perſuadendam Chriſti religionem ſæpius uterentur, ſi peculiares quaſdam illius jam nobiſcum pugnantes retinuêre ſententias. Cùm igitur ſentiret Plato, quod & Pſeudippus edocuit, *Solem eſſe ſempiternum animal, Aſtrum animatum*, Solem animatum e prioribus Chriſtianis tenuêre plurimi, quos inter, ipſum Origenem extitiſſe Lactantius author eſt, qui & addit *Solertiam Divinæ poteſtatis in machinandis itineribus Aſtrorum, quia Philoſophi non videbant, animalia eſſe ſydera putaverunt, tanquam pedibus & ſponte, non divinâ ratione procederent*, unde Hieronymus ſuper illud Deuteronomii, Audite cœli quæ ego loquor, atque ad caput primum, & quadrageſimum quintum Eſaïæ, atque in epiſtolis ad Pammachium & Avitum arguit Origenem, quòd Solem animatum eſſe crediderit.

Quin

Quin & ingeniorum Aquila Auguſtinus ipſe, licet quarto de Civitate Dei, antiquis ex Philoſophis Aſtra vivere, animiſquè rationalibus omnia prædita referat, nec ad illorum accedat opinionem, libro verò de duabus animis capite quarto muſcam quòd vivit, Sole nobiliorem eſſe contendat, quem & in hôc Philoſophorum optimiquiquè ſequantur: Attamen Enchiridii capite quinquageſimo octavo, An Sol, Luna, Aſtraquè reliqua ſint animata, utanturquè ratione, & conſequenter an aliquando cum Angelis hominibuſquè beanda, manifeſtè dubitare videtur. At omni ſublatâ dubitatione BEANDVM SOLEM id ætatis aliqui ſic in eâ ſunt hæreſi, ut ab illâ ratione nullâ revocari queant, qui ſuam ut confirmare videantur opinionem, Apoſtoli teſtimonio ridiculè prorſus abutantur, ubi habetur Romanorum octavo ἐπ' ἐλπίδι ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν

λευθερίαν τῆς δόξης τῶν τεκνῶν τοῦ Θεοῦ. Quorum verborum in proprio ſenſu, non detortâ, non deflexâ, non immutatâ, non tranſlatâ ſignificatione, veram, aptam, germanamquè intelligentiam, ſedulis ſcripturæ ſcrutatoribus aperiendam facilè permitto: Ut Joannis Theologi ſuis in Revelationibus capite vigeſimo primo hanc ad rem prioribus omnibus teſtimonium hìc opponam, qui in beatorum civitate Solem non futurum manifeſtè ſatis his verbis aperit, καὶ ἡ πόλις οὐ χρείαν ἔχει τοῦ ἡλίου, οὐδὲ τῆς σελήνης, ἵνα φαίνωσιν ἐν αὐτῇ, ἡ γὰρ δόξα τοῦ Θεοῦ ἐφώτισεν αὐτὴν, καὶ ὁ λύχνος αὐτῆς τὸ ἀρνίον. Quod idem capite ſequenti ſimilibus pene verbis ita repetit, καὶ χρείαν οὐκ ἔχουσι λύχνου, καὶ φωτὸς ἡλίου, ὅτι κύριος ὁ Θεὸς φωτίζει αὐτούς. Ex quibus verbis, quemadmodum & ex illis Malachiæ quarto, *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ*, Solem eſſe Deum, atque præter Solem unum, Chriſtum eſſe neminem, Manichæi deduxiſſe videntur, quam Auguſti-

Auguſtino contra Fauſtum tam ſtultam Manichæorum opinionem, ut in BRITANNICO SOLE mea tandem deſinat oratio, pluribus explodendam, coercendamquè relinquo.

IN quo profectò non tam multa diſputanda mihi veniunt: Cùm ex ipſiuſmet veritatis ore, quæ falli ratione nullâ poteſt, in illis beatarum mentium ſedibus SOLES PLURIMOS, foelicitatis earundem fore participes, tam expreſsis verbis habeamus, certius ut nihil Chriſtiana fides amplectatur. Ait enim non Plato, non Ariſtoteles; non Demoſthenes, non Tullius; non Herodotus, non Titus Livius; non Homerus, non Virgilius; NON Philoſophus, non Orator, non Hiſtoricus, non Poëta quiſpiam: Sed ait Chriſtus,

ait Dei filius, ait Deus ipſe Matthæi decimo tertio, quod οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῶν. Deus enim luminum omnium pater, ita ſemper illos divinæ lucis radiis afflabit undique, *Quod non ab ipſo diſtinctum Gloriæ lumen eſt aliquod, quemadmodum in Thomam ſubtiliter admodum Scotus diſputare videtur*, illos inquam luce divinâ ſic afflabit undique, ut ipſimet Soles eſſe, aut tanquam parelii, aut ad Solem oppoſita ſpecula, Solem eundem referre proximè videantur. Et quemadmodum ex Solis aſpectu ſic accenduntur Aſtra, ut tanquam parvi Soles appareant: Sic iidem ex aſsiduâ contemplatione Dei tantum inde lucis accipient, ut velut ſplendidi Soles effulgeant. Vnde ridenda venit Scholaſticorum nonnullorum opinio, qui velint Doctorum Aureolam peculiarem eam eſſe, quòd collucentem Solis ad effigiem, vultum in ſapientiæ doctri-

næquè decus, atque insigne sint habituri. Cùm tamen Iustis omnibus istud commune Christus afferat. Quis autem, lector amantissime, SOLE BRITANNICO justior, non in Angliâ modò, sed in orbe toto reperiri potest? Quâ de re cùm a nobis pluribus actum suprà in memoriam facilè tibi revocare queas, hìc orationi meæ tandem aliquando, bonâ cum tuâ veniâ, modus statuendus est aliquis. In quâ cùm virtutum omnium, quæ ad æternam beatitudinē certissima sunt via, in SOLE BRITANNICO videris imaginē, nonne BEANDVM illū mei Solis Lector amans sperare potest? Enimuero potest, cùm ex illorum hunc esse numero, ad quos proverbiorum istud attineat, suprà demonstraverimus (*Semita justorum veluti lux Luciferi progreditur, & illuminat usque ad perfectum diem.*) Igitur ut in te, gratiâ cujus incepit, tandem mea desinat oratio, REX AU-

GUSTISSIME: Eo quo coepisti pede progredere, progredere giganteo passu, superi Solis semper ad instar, ut quæ duodecim cùm illo partiris elogia, semper adaugeas, habeariſquè semper ab omnibus propter eximias summi Regis, quibus ornaris dotes, ORBIS MIRACULUM: Propter singularem morum castigatorum in Rege pulchritudinem, SPECULUM DEI: Propter infusam a Deo tibi ad regendos homines sapientiam, REGNORUM quibus imperas ANIMA: Propter tuam in omnes comitatem, urbanitatem, humanitatem, illius quem regis ORBIS GAVDIVM: Propter divinam sapientiam, omniſquè virtutis eximium in te splendorem, LVCIS VEHICVLVM: Propter summum quem habes imperium in tam multos Divites, atque Nobiles, in scientiis omnibus Laureatos, Episcopos præsertim, in Christianæ Religionis Amatores innumeros,

numeros, atque in Regni, ſubditorumque tuorum conſervationem, noctur-nos diurnoſque conſtitutos a te Vigiles, ASTRORVM PRINCEPS: Propter ſtupendam animi tui magnitudinem cum juſtitiâ conjunctam, TERRA MAIOR: Propter adamantinam, quâ te præditum orbis miratur univerſus, conſtantiam, NVNQVAM DEFICIENS: Propter eam ſecuritatem, quâ per Regnum fere Solus obambulas DEPRESSIOR MAIOR: Propter continuam in omnes liberalitatem, ALTIOR BENEFICENTIOR: Propter admirandam fortitudinem tuam, VERVS HERCVLES: Per hos inquam gradus, certè nobiliores Henrici primi Regis Angliæ ſcalâ, quam habuit in inſigne cum lemmate PER GRADVS VELOX, indefeſſo gradu ſemper aſcende: Atque ex Platonicis hanc ad rem coronidis loco, quibus ulterior Solis inhibeatur progreſſus, duas viæ

Solis esse portas semper animo revolve: Solstitium æstivum dumtaxat, hybernumquè; Hominum primam, quia per hanc fit ad ima descensus: Deorum alteram, quia sursum evectæ per illam cœlestibus restituuntur sedibus animæ: Igitur, ut adhuc feciſti, ita sursum semper deinceps evehere, ut Mundo, ipsoquè Sole semper altior, Empyreum, ubi perpetuum habeas Solstitium, tandem aliquando consequaris, atque sis in illo SOL VERE BEATUS.

*ATque hæc quidem de* SOLIS BRITANNICI, *cum* SOLE MVNDANO *parallelis duodecim habui dicere, Humanissime Lector, quæ si minùs apta, vel ad rem minùs accommodata reperias, tum ut peregrino condones, tum ut audacis, arduiquè maximè conatus, rationem habeas oportet. Quòd si verò tibi Sol iste meus arrideat, ad alia crede mihi, & mentem & calamum acues. Interea solem hunc, Solem* καθοδηγὸν εὐσέβεσι καλῶν *libenter accipe: Solem jure potiori*

ori quàm Persis insigne tibi posthac futurum: Solem meliora tibi locuturum, quàm cælatus in Philoclis annuli palâ Sol ille canere prædicetur: Hunc inquam si meum Solem manibus, oculis, menteque capias, alium in animo tuo veluti Solem sibi similem, itaque permanentem is efficiet, ut, ipso quantumvis a tuo conspectu postea sublato, nequaquam ab illo productum in te lumen, Pareliorum ad instar, sis unquam amissurus. Vale.

FINIS.